CAROLI CHRISTIANI HEUBACH
GRVNSTADIO LEININGENSIS

COMMENTATIO
DE
POLITIA ROMANORVM
SEV VETERIS VRBIS ROMAE.

IN CERTAMINE LITTERARIO
CIVIVM
ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
DIE IV. JUNII CIƆIƆCCXCI
PRAEMIO A REGE M. BRITANNIAE AVG.
CONSTITVTO
EX SENTENTIA AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORVM
ORNATA.

Εστι δ'εν ευτυχιᾳ
πανδοξιας ακρον. Pindar.

GOTTINGAE
TYPIS JOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.

SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO GUILIELMO

PRINCIPI NASSOVIAE COMITI IN SARBRÜKEN ET SARWERDEN

DYNASTAE IN LAHR ET MAHLBERG, AC WISBADEN

ET IDSTEIN RELIQVA

ORDINIS ELEPHANTI EQVITI

PRINCIPI AC DOMINO SVO

CLEMENTISSIMO

HASCE STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS

D. D. D.

CAROL. CHRISTIAN. HEUBACH.

PRINCEPS SERENISSIME,

Vt excelso TVO *nomine huius libelli frontem inscribere auderem, mouit me et animum confirmauit summa* TVA, SERENISSIME PRINCEPS, *quam omnes veneramur, indulgentia et clementia, quam placido vultu prae* TE *fers, quaque omnium, quibus adire* TE *contingit, animos ac voluntates expugnas, et ad* TVI *amorem adiungis. Laetus igitur opportunam, quae sese mihi obtulit, occasionem arripui, qua et pro munere scholastico mihi delato et pro indulgentia, qua iuvenile meum studium excitare, fouere, atque augere hucusque non es dedignatus, quas semper habebo, eas et publice gratias agere liceret. Iure autem* TIBI, DOMINE, *debebantur istae meorum studiorum primitiae, quippe qui clementissima ad gymnasium* TVVM *euocatione me ad inceptum tum opus, si non pertexendum, absoluendum tamen acerri-*

mum animo calcar addideris; vt videlicet humaniorum litterarum, ad quas docendas euocarer, quamuis exile, aliquod tamen meum exstaret specimen. Quod quidem si a TE clementer acceptum fuerit, nihil amplius exoptandum mihi nunc restabit, quam vt, quae summa in TE est clementia, ei et gymnasium, cuius amore flores, et me in illo collaboratorem a TE constitutum, in posterum quoque commendatum habeas. Summa TE religione, pietate et reuerentia, dum vita manebit, prosequar

NOMINIS TVI SERENISSIMI

Dab. Weilburgi
d. XIX. Augusti MDCCXCI.

cultor deuotissimus,

CAR. CHRISTIAN. HEUBACH.

Quaestio ab Amplissimo Philosophorum Ordine concertandi causa nobis proposita sic sese habet:

Praemio ornabitur is qui optime commentatus fuerit de politia veteris vrbis Romae. Satis autem erit, de iis tantum rebus differere, quae ad securitatem, tranquillitatem, comoditates et ornamenta potissimum spectarunt.

PROLEGOMENA.

§. 1.

De diuersarum, in quas omnes πολιτείας a) auctores, in delineandis eius finibus vt in disciplina noua, discesserunt, sententiarum discussione, aut si tali negotio impares fuissemus, saltem enarratione, non est, quod simus solliciti. Supersedere enim optimo iure illis possumus, cum iam in quaestione proposita indicetur, quaenam ad politiam, certe ad illam eius partem, quam nunc tractamus, spectare, sit nobis statuendum. Etsi hac ratione labore non exiguo simus leuati, grauior tamen aliunde existit. Scilicet cum omnia fere politiae instituta ex diuersis rationibus considerari, atque inde modo ad hanc, modo ad illam politiae partem referri possent, diligenter fuit circumspiciendum de loco opportunissimo, quo argumentum quoduis disponi deberet. Quod me male interdum habuisse, sincere profiteor, nec, vt optimum cuique rei locum eligerem, Apollinem mihi semper propitium fuisse, iam nunc satis intelligo, alios autem in hoc negotio multo me feliciores fuisse, sat scio. Id vero primum hoc stadium ingresso mihi aliter euenire vix potuit. Certe vt repetitiones euitarem, ad ea capita res referre studui, ad quae potissimum pertinere mihi viderentur.

a) πολιτεία graecis primum significauit constitutionem reipublicae, deinde etiam rempublicam ipsam, tali constitutione gaudentem. Reipublicae vero constitutio spectat ad statum illius *externum*, atque *internum*. Statum externum politice curat, *internum* vero *eiusque curam* vt πολιτείας nomine designaremus, vsus loquendi ita tulit. In cuius notione constituenda cur etiamnum auctores dissentiant, eius rei causam ostendit Ill. Beckmann in annot. ad §. 3. libri a se editi: von Justi Grundsätze der Polizeywissenschaft. p. 5 sq.

§. 2.

Politia Romanorum a paruis initiis, ficut et eorum imperium et omnes res mortalium, proceffit, in fingulis tamen partibus ad perfectionem haud contemnendam adducta eft. Syftema politiae nunquam condiderunt, etiam vocabulo ad illam defignandam deftituti; omnia ex vfu atque experientia, recordatione fimilium cafuum qui antecefferant, fluxere. Initio fatis habuerunt, fi neceffitatibus maxime vrgentibus poffent fuccurrere. Itaque vt omnino primis Romae temporibus paucae leges in vrbe erant, ita pauciores adhuc ad politiam fpectabant. Iuffa regum fi res poftulabat, pro legibus atque inftitutis erant, ad eos grauiffima quaeque referebantur, eorum omnes dicto annuere, imperio parere cogebantur. Ciuitas autem nequedum populo fatis frequens, neque opibus locuples, communibus ciuium animi coniuncti periculis, natura paucis contenta; nondum luxuries, nondum illa, quae fere opes confequitur, malarum artium lues in vrbem inuaferat. Poftea vt fenfim fenfimque reipublicae opes, ciuiumque numerus maioribus auctus eft incrementis, tunc et cafus faepe emergebant, quibus publice erat prouidendum. Tunc vt ad varios morbos varia medicamenta inueftigata funt, atque inuenta, fic ad ea mala, quae manare coeperant in ciuitate, comprimenda et fananda, paulatim certus quidam mos, quem in fimilibus recurrentibus fequerentur, introductus, fic leges et inftituta ad politiam fpectantia neceffitas peperit, plurima tamen diu cafui fortique relicta.

Quae de primis politiae Romanae initiis hucusque in vniuerfum differuimus, illa etfi fatis bene forfan fe habeant, de fingulis tamen fi quaeftio incidit, parum aut nihil eft, quod certi ftatuamus. Nota eft hiftoriae Romanae quatuor aut quinque ab V. C. feculis incerta ratio, tenebraeque illi obductae neminem latent. Vt de Gallico incendio taceam, (quo licet plurima hiftoria Rom. monumenta perierint, dubito tamen, an vllum, quod ad politiae hiftoriam fpectaret,) fexto demum V. C. feculo hiftoriarum fcriptores inter Romanos exftiterunt. Verum ne hos quidem temporis iniuria nobis feruauit, et fi feruaffet, parum illi nos in hac noftra caufa adiuuarent. Multo enim diligentiores illos fuiffe in anilium fabularum et fuperftitionum narratione, quam in iis, quae hic loci curamus, memoriae prodendis, ex Liuio, quem illos tanquam hiftoriae fontes fequi oportuit, plus fatis intelligimus. Saepe enim dum ex illo quaererem, quae in vfum meum poffem conuertere, vix mihi ab ira temperaffem, nifi ftatim fuccurriffet, ea, quae nunc ex illis fcire cuperemus, illorum temporibus, vulgaria et notatu indigna videri debuiffe, neque illis hiftoriarum auctoribus vnquam in mentem venire potuiffe, viginti feculis interiectis nos de politia Romanorum effe certaturos.

Reſtat quidem alius rerum Romanarum ſcriptor qui antiquiſſimae hiſtoriae Rom. notitias, Liuio, in ſeriorum temporum hiſtoria magis adlaborante, accuratior atque diligentior collegit et compoſuit, Dionyſium puta Halicarnaſſenſem; verum is hypotheſi quadam mente impedita et occoecata hiſtoriam ſcribendam adgreſſus eſt. Cum enim recte obſeruaſſet, multa antiquiſſimorum Romanorum inſtituta graecum aliquid ſapere, amore ac ſtudio gentis ſuae ita Romanos, quaſi Graecos colonos fingit et quae pluribus ſaeculis poſt V.C. acciderunt, ipſe Romulo et Numae tribuit, quos omnino ſapientiſſimos reges, ſicuti totam rempublicam egregie iam primo initio cultam et optime inſtitutam, quaſi Athenis coloniam deductam, fuiſſe nobis perſuadere cupit. Hinc iam ſatis apparet, quam parua ſit ipſi fides habenda et quam longe ipſo duce aberrare a veritatis ſcopo poſſemus. Hoc tamen iure contendi poſſe videtur, leges et inſtituta primis regibus ab illo adtributa perantiqua fuiſſe, adeo vt ſerioris hiſtoriae teſtimoniis non facile refelli poſſet, et hactenus quidem firmioribus adiumentis fontibusque purioribus deſtitutus non dubito illum in quibusdam eſſe ſequendum.

Ceterum omnes, quibus profeci, antiquitatis ſcriptores hoc loco recenſere et nimis longum et ſuperuacaneum arbitror. Commentatione ipſa inſpecta cuiuis illud apparebit; cum ſemper infra adiecerim, quibus fontibus hauſerim, et in hoc quidem aequum iudicem non fugiet, me quantum fieri poſſet, ad primos fontes rediiſſe.

§. 3.

Iam ſi politiae obiectum atque finem, in quaeſtione certe noſtra praecipuum propoſitum, omnino ſpectes, *ſecuritatem* puta *tranquillitatemque vrbis tuendam*, (commoditatum enim ornamentorumque cura tanquam opus quoddam ſupererogationis, ex ſummorum certe politicorum ſententia, ipſi iniuncta eſt) ſtatim intelligas, poteſtatem legislatoriam non minus, quam quae leges exſequendas curat, (executiuam) ad politiae munus pertinere. De vtraque igitur nobis eſt agendum. Legum autem ad πολιτείαν ſpectantium duplex fertur genus bene diſcernendum. Aliae enim ita comparatae ſunt, vt permaneant, aliae nonniſi in breuius aliquod tempus, aut momentum latae.

Leges omnino et in his etiam ad politiam referendas primi inter Romanos tulerunt reges (cum Senatu) penes quos etiam ſumma politiae, ſi quidem illorum temporum aliquam ſtatuere velis, cura et adminiſtratio fuit. Poſtea vero illis exactis leges permanentes latae a Decemuiris, deinde a populo in comitiis; aliae autem in cauſis trepidis a Senatu, quae quidem SCta atque decreta vocantur, aliae a Magiſtratibus, iure edicendi gaudentibus.

Euersa republica Imperatores pleraque leges per Rescripta tulerunt, quas saepe Senatus decreto firmandas curarunt. Et omnes quidem hae leges ad politiam Vrbis et quidem IV. illa capita spectantes ex omnibus legibus Romanis, vbi vsque ad nostram aetatem indiscretae iacuerunt, vt ex immensa quadam farragine, segregandae fuerunt atque eligendae.

Legum exsecutio singulis mandata magistratibus, quos quidem hoc loco enumerare non solum a re non alienum, sed etiam ad introductionem necessarium arbitror.

Reges igitur prioresque Consules, cum totius reipublicae curam gererent, et politiam, qualiscunque illo tempore fuerit, curasse, vix opus est monere. Iam vero cum, crescente republica, Consulum officia atque negotia in tantum augerentur, vt vix omnia humeri illorum possent sustentare, noui temporis successu magistratus sunt inuenti, in quos singulae consularis officii partes transferrentur. Itaque a V.C. 260. *Aediles plebis* creati curam aedium publicarum priuatarumque, actorum populi custodiam, nec non spectaculorum exhibitionem susceperunt; quod posterius negotium V.C. 387. in *Aediles curules* translatum est. V.C. 311. *Censores* creati, vt Consules ab officio populum censendi liberarent; qua parua origine ortam postea tanto incremento auctam censuram tradit Liuius *b*), "vt morum disciplinaeque Romanae penes illam regimen, Senatus equitumque centuriae decoris dedecorisque discrimen sub ditione eius magistratus, *publicorum ius priuatorumque locorum*, vectigalia populi Rom. sub nutu atque arbitrio essent." Postea etiam Aedilium officiis atque negotiis nimis auctis atque multiplicatis, vt curarum parte illi leuarentur, alii magistratus inferiores inuenti. Ita praeter *Curatores extra ordinem* creatos et a numero denominatos v. c. *Vviros muris turribusque reficiendis*, *Quinqueuiri cis et vls Tiberim*, incertum est quo anno, sunt constituti, vt noctu vrbem perambulantes incendia cauerent; eodem modo *Triumuiri nocturni*, qui vigilias noctu in vrbe circumirent et ad orta incendia concurrerent; *IVviri viarum vrbanarum* curatores; *Aediles Cereales* a Caesare demum constituti ad procurandam vrbis annonam.

Ab Augusto omni politia Rom. mutata, noua deinceps rerum facies emersit. Is enim manentibus plerisque priorum magistratuum nominibus, officiis tamen permutatis nouos constituit; in his *Praefectum Vrbi*, cui summam in vrbe potestatem in manus tradidit eique subiecit *Praefectum annonae* et *Vigilum*, quos magistratus esse ICti negant *c*), sed extra ordinem vtilitatis causa constitutos esse volunt; *Curatorem aquarum cum adiutoribus; operum publicorum; viarum; aluei Tiberis; Curatores regionum* et *Vicomagistros*. Postea his alii adiecti *Curator operum maximorum; Tribunus fori suarii;* *Tribu-*

b) L. IV. c. 8. *c*) Pomponius l. 2. §. 33. de Orig. Iuris.

Tribunus rerum nitentium, *Curator ſtatuarum*, qui et *Comes Romae* dictus *Curator Minuciae frumentariae*, *Comes horreorum* omnino, et *Galbianorum* ſpeciatim *Curator*.

Quorum omnium magiſtratuum officia, quatenus illa ex monumentis antiquis eruere contigit, in ipſa commentatione declarabuntur, et quidem ita in hac re verſatus ſum, vt legibus atque inſtitutis, quae ad politiae Rom. quatuor illa capita pertinent, commemoratis ſtatim ſubiicerem, quinam magiſtratus illa curarit.

CAPVT I.

De ſecuritate Vrbis.

§. 1.

Quae omnino cauſa atque ratio mortalibus exſtitit, vt multis, quibus in ſtatu naturali fruerentur, commodis poſthabitis atque neglectis, in ſocietates resque publicas ſimul coirent, ſcilicet vt ſecuri vitam degerent, paratisque quieti fruerentur, eam praeſertim et primam vrbis condendae rationem atque finem habuerunt propoſitam. Securitatis igitur et internae et externae gratia leges primum latae et inſtituta ſeruata ſunt. Iam vero ciuitatis *ſecuritas externa* ad politicen ſpectat, interna ad noſtrum conſilium. *Securitas interna* eſt vel publica vel priuata, *publicam* vocabulo proprio *Tranquillitatem*, (ſi quidem dextro Apolline notiones vocum, alias confuſas, conſtituere mihi contigit) vocamus. *Securitas interna priuata* nihil aliud eſt, quam ille omnium ac ſingulorum ciuium et incolarum ſtatus, vbi intra ciuitatis moenia

I. *neque de vita ſua aut iniuriis in corpus illatis*,

II. *neque de honoris vlla violatione*,

III. *aut bonorum detrimentis* ſit metuendum. Haec quidem eſt illa ſecuritas, quam ciuibus atque incolis vrbis praeſtare primum politiae munus eſt atque officium. Nunc iam videamus, *quibus legibus atque inſtitutis quorumque magiſtratuum cura* ſecuritas illa Romae a primis inde temporibus, quantum ex antiquitate memoriam illorum repetere licet, vsque ad imperii occidentalis poſtremam aetatem quaeſita, parata, aucta ſit et conſeruata. Initium igitur faciendum a *ſecuritate vitae et corporis* ſeu perſonae, cui quidem varia, quibus politia proſpicere debet, immineant pericula: ſcilicet

I. *a caedibus manifeſtis et clandeſtinis*,

II. *ab imprudentia hominum atque ſocordia*,

III. *a morbis*,

IV. *ab anguſtiis annonae*, aliarumque rerum, quae ad vitam ſuſtentandam neceſſariae ſunt, defectu.

SECTIO I.

SECTIO I.

De ſecuritate vitae.

PARS I.

Quae ad vitae pericula, ab improborum inſidiis doloue malo atque iniuria in ciuitate imminentia, depellenda Romae inſtituta fuerint.

§. 2.

Leges de vi.

Cum nulla ciuitas ſtare et incolumis eſſe ſine legibus praeſertim iis, quae vim, quae iniurias arceant, diu autem vigere multo minus poſſit: primis ſtatim Romae conditae temporibus leges de vi exſtitiſſe, nobis perſuaſum eſſe deberet, etiamſi nullum eius rei in hiſtoria teſtimonium poſſet deprehendi. Verum enimuero adſunt luculentiora argumenta, quorum primum hoc eſt: quod coloniam ex Alba Longa, quae iam ad cultioris vitae gradum emerſerat, Romam ſciamus deductam, adeoque et leges vrbis maternae, quod ſemper in coloniis factum hiſtoria docet, ſimul translatas. Deinde etiam ſcriptorum ſuperſunt teſtimonia et quidem iam de Romulo, qui legem tuliſſe fertur de parricidio ſeu de caede hominis liberi. Nam aduerſus eos, qui patrem matremue occidiſſent, ſapientiſſimus ille legislator, ſicut a Dionyſio fingitur, tanquam prior Solon, poenam nullam ſtatuit. Poſtea Numa Pompilius legem his verbis compoſuiſſe traditur atque edidiſſe: *ſi quis hominem liberum dolo malo morti duit, parricida eſto.* Quae lex repetita eſt in XII. Tabb., et capitis poena ſancita; mitius tamen puniebatur is, qui caſu homicidium commiſiſſet. Cogebatur enim pro capite occiſi in concione arietem ſubiicere, id eſt, Feſto interprete, agere, vt pro ſe caederetur expiandi cauſa, quod fiebat exemplo Athenienſium. Ibidem addita lex de parricidio: qui parentem necaſſit, caput obnubito, culleoque inſutus in profluentem mergitor. Poſtea V. C. 673. Lex Cornelia de ſicariis a L. Cornelio Sulla dictatore lata puniit eum: qui quem occiderit, etiamſi ſeruus eſſet. Eadem lege ſecuritati dominorum a ſeruis proſpectum erat cautumque: vt ſi quis domus ſuae necatus eſſet, is qui ſeruos, qui ante quaeſtionem fugerint, perveſtigarit et indicarit, in ſingulos ſeruos, quos eius caedis conuicerit, quinos aureos ex bonis occiſi, aut ſi inde redigi non poſſent, ex publico acciperet. Auguſtus, quibus diebus ſpectacula exhibuit, cuſtodes in vrbe diſpoſuit, ne raritate remanentium graſſatoribus obnoxia eſſet. d)

§. 3.

d) Sueton. in ej. vita. c. 43.

§. 3.

Patria potestas.

Patria potestas apud omnes fere rudes populos vsitata, quae patri plenum ius vitae et necis in liberos tribuit, iam Romuli lege: de pleno patrum in liberos cuiuscunque aetatis arbitrio, firmata fertur *e*). XII. Tabularum lege idem sancitum: *endo liberis iustis vitae, necis venundandique potestas patri esto, verum si pater filium ter venumduit, filius a patre liber esto.* Satis quidem certum est, mitescentibus moribus non vsque adeo exercitam fuisse illam vitae necisque potestatem, neque tamen lege in hanc rem lata concidit, sed deferbuit sensim, et postquam mores eam subegissent, accessit demum publica auctoritas tum ICtorum, tum principum, quae damnauit et vindicauit facinora ex illa peracta. Pompeii M. temporibus adhuc viguisse in liberos etiam vsque ad mortem decernendi potestatem, apparet ex lege Pompeia de parricidio, vbi omnes, qui parricidio teneantur, enumerans, patres liberos occidentes omisit. Neque Augusti tempore patribus interdictum fuisse, liberos quos vellent, necare ex lege Iulia de adulteriis probauit Bynkershoek *f*). Lex autem Cornelia de sicariis, quae vtraque prior fuit, hominem quidem occidi vetuit, sed saluo cuiusque iure. Traianum primum ius patrium euertisse, ex eo certo colligi potest, quod ille coegerit patrem emancipare filium inclementius habitum. Hadrianus autem patrem filii sui, qui nouercam adulterabat, interfectorem deportatione puniuit *g*). Sub Alexandro Seuero patria potestas ad solam castigationem erat redacta, quod Vlpianus docet l. 2. D. ad leg. Corn. de sicar. Inauditum inquit, filium pater occidere non potest, sed accusare eum apud Praefectum (Vrbi) praesidemue prouinciae debet; et l. 1. §. 2. D. de obseq. parent. et patr. praest. si filius matrem aut patrem, quos venerari oportet, contumelia afficit et impias manus eis infert, praefectus vrbi delictum ad publicam pietatem pertinens pro modo eius vindicat. Constantinus Imp. *h*) post Chr. 318. patres filiorum interfectores poena parricidii adficiendos constituit. Secuta est lex Valentiniani, Valentis et Gratiani Imppp. *i*) data Romae ad praefectum praetorio: si quis necandi infantis piaculum aggressus aggressaue fuerit, sciat se capitali supplicio esse puniendum.

§. 4.

Expositio liberorum.

De hoc Romanorum more, qui apud omnes populos incultos obtinuit et adhuc obtinet, ex nostro sensu tam atroci vt recte iudicemus, duo habeo omnino

e) Dionys. Halic. L. II. p. m. 96.
f) De iure occid. liberos in Opusc. p. 160.
g) L. 5. D. ad leg. Pompeii de parricid.
h) In l. vn. C. IX. tit. 17. de his qui paren. vel lib. occid.
i) In l. 8. C. IX. tit. 16. ad l. Corn. de sicar.

omnino monenda. Quorum primum hoc est: liberorum educationem in populo neque agrorum idoneo cultu, neque artibus, mercatura et nauigatione, quibus vitam plures possunt sustentare, instructo esse difficillimam. Itaque antiquitus cum familiae nimis augerentur, ita vt agrorum portiones illas alere non amplius possent, ad nimiam ciuium frequentiam remedium, quod annonae penuria famesque, etsi male, suadebant, liberorum expositionem adhibuerunt. Deinde etiam hoc animo tenendum, in populo rudi ac bellicoso puer si nasceretur, in eo non hominem, vt apud nos, sed ciuem futurumque patriae defensorem esse spectatum, adeoque eum, qui propter infirmitatem corporis aut membrorum aliquod vitium militis officiis aliquando subeundis parum idoneus videretur, esse expositum. Qui antiquissimus mos circumscriptus iam Romuli lege traditur *k*): ne quis triennio minorem non monstrosum exponeret, ac ne hunc quidem nisi ex quinque vicinorum consilio. Expositi olim sunt liberi in foro Olitorio ad columnam Lactariam. Verum enim vero barbarus ille mos, populo Romano et belli fortuna et cultu et commercio, nec non humanitate aucto, satis mature decoxit, quanquam et ipse moribus prius, quam legibus interdictus. Tum honestum erat liberos suscipere, orbitas contemta. Imp. Constantinus post Chr. 315. legem tulit, quae parentum manus a parricidio arceret, aereis tabulis vel cerussatis vel linteis mappis per omnes ciuitates proponendam: vt si quis pater praesidi prouinciae adferat sobolem, quam pro paupertate educare non possit, nec in alimentis nec in veste ex fisco atque re Caesaris priuata impertienda tardaretur *l*). Verum haec lex ad Romam non pertinet. Valentiniani autem Valentis et Gratiani Imppp. de liberorum expositione lex generalis his verbis descripta est: vnusquisque sobolem suam nutriat, quodsi exponendam putauerit, animaduersioni, quae constituta est, subiacebit *m*). Vnde colligi potest iam antea non impune liberos fuisse expositos.

Leges de partu abacto seu in ventre necato ad illam politiae partem spectant, quae de populo augendo tradit, neque de securitate eius, qui nondum natus est, hic agitur.

§. 5.

Potestas dominorum in seruos coercita.

Leges Romanorum cum ius vitae et necis parentibus in liberos darent, nihil mirum esse potest, si ius idem dabant in seruos. Diu autem barbara illa in seruos saeuiendi licentia iusque vitae et necis dominis permansit. Itaque Hispo Romanus apud *Senecam n*) tanquam ex iure vulgari pronunciat:

k) Dionys. Halic. L. II. p. m. 88.

l) Cod. Theod. L. XI. tit. 27. de aliment. quae inop. parentes &c.

m) L. 8. C. ad l. Cornel. de sicar.

n) Controuers. L. X. c. 4.

ciat: in feruum nihil non domino licere. Certe fub Imperatoribus tandem infinitum illud imperium temperatum eft atque emendatum. Ac primum quidem lege Petronia Senatusque confultis ad eam pertinentibus poteftas dominis ablata, ad beftias depugnandas fuo arbitrio feruos tradere, vt Modeftinus auctor eft *o*). Legem Petroniam ad Augufti tempora referunt alii, alii ad Neronis fpectare, Hottomannnus V. C. 813. latam contendunt; quae pofterior fententia vera mihi videtur. Nero enim feruis et libertis plerumque circumfufus dominorum faeuitiae frena iniecit, iudicesque dedit, qui feruorum querelas audirent; quanquam hoc iam Caium Imp. feciffe funt, qui referant. Illud extra omne dubium eft pofitum, Hadrianum feruos a dominis occidi vetuiffe eosque iuffiffe damnari per iudices, fi digni effent *p*). Secuta tandem eft Antonini Pii conftitutio, qua is, qui fine caufa legibus cognita feruum fuum occidit, non minus punitur, quam qui alienum *q*); qui vero alienum occiderat, lege Cornelia de ficariis tenebatur, quae non diftinguebat, cuius conditionis homo effet *r*). Cum antea mancipia miferam ad fenectutem redacta mifere tractarent, ipfe enim Cato ille maior feruos aetate confectos tanquam inutilia pondera domo eiecit *s*), Claudius imperator, cum quidam aegra et affecta mancipia in Aefculapii infulam taedio medendi exponerent, omnes, qui exponerentur, liberos effe fanxit, nec redire in ditionem domini, fi conualuiffent; quodfi quis necare mallet, quam exponere caedis crimine teneri *t*). Similem legem Vefpafiani feruauit Dio Caffius *u*). Vlpianus autem *x*): "Seruos, inquit, Praefectus Vrbi de dominis querentes audiat, fi faeuitiam, fi duritiam, fi famem, qua eos premant, fi obfcoenitatem, qua eos compellarint vel compellent, apud illum exponant. A Diuo Seuero hoc quoque officium praefecto Vrbi datum, vt feruitia tueretur, ne proftituantur."

Neratio Prifco et Annio Vero Coff. SCtum factum eft, quo is, qui feruum caftrandum tradiderit, pro parte dimidia bonorum multatus eft *y*). Quod SCtum nifi antiquius putes, (Confulum autem haud dubie fuffectorum nomina in faftis confularibus fruftra quaefiui) Domitianus primus caftrari mares adeoque et feruos vetuit *z*). Idem Nerua conftituit. Hadrianus autem refcripfit: "Conftitutum quidem eft, ne fpadones fiant, eos autem, qui hoc crimine arguerentur, Corneliae legis poena teneri, eorumque bona

 fifco

o) D. 48. tit. 8. l. 11.
p) Spartian. in eius vita c. 18.
q) D. I. tit. 6. de his qui funt fui vel. al. iuris. l. 2.
r) D. 48. tit. 8. l. 1. §. 2. cf. D. VIIII, tit. 2. l. 23. §. 9.
s) Plutarch in vit. Caton. c. 10.
t) Sueton. in Claud. c. 25.
u) L. 60. p. 788. ed Steph.
x) De off. Praef. Vrbi D. I, tit. 12. l. 1.
y) D. 48. tit. 8. l. 6.
z) Sueton. in Domit. c. 7. Ammianus Marcell. XVIII, 4. Martial Epigr. VI. 2. IX. 7. 9. v. 5.

fisco meo merito vindicari. Nemo enim liberum seruumque castrare debet; medico, qui aduersus edictum meum fecerit, capitale erit, idem ipsi, qui se sponte excidendum praebuit." *a*) Postremo Constantinus quoque eunuchos fieri vetuit, "qui fecerit, capite puniatur, mancipio tali, nec non etiam loco, vbi hoc commissum fuerit, domino sciente ac dissimulante, confiscando." *b*)

§. 6.
De Veneficiis.

Quod ab hoc scelerum genere ciuium capitibus imminet, eo maius est periculum, quo occultius illud perpetrari potest. Verum augebatur periculum Romae per seruos, quos pro aeternis hostibus Romani habuerunt, praesertim dominorum crudelitate exasperatos odioque incensos. Mirandum autem in hac re videtur, primum a veneficiis periculum non ab his, a quibus primum exspectari poterat hominibus, sed a mulieribus atque matronis Romanorum vitae fuisse paratum. Cum enim in ciuitate per tot annos leges, quibus veneficia vindicarentur, nullae fuissent, veneficiique nomine nemo adhuc in iudicium esset vocatus, vnde quae tum probitas fuerit, apparet, tandem V. C. 423. *c*) primum de veneficio quaesitum est. Res a Liuio *d*) (etsi dubitanter) refertur, et quoniam Romanorum in talibus causis procedendi modum nobis ostendit, paucis videtur declaranda. Cum annus ille pestilentia esset foedus, primoresque ciuitatis similibus morerentur morbis eodemque fere omnes euentu, ancilla quaedam ad Q. Fabium Maximum, Aedil. Curul. indicaturam se publicae pestis causam professa est, si ab eo fides sibi data esset, haud futurum noxae iudicium. Fabius confestim rem ad Consules, Consules ad Senatum referunt, consensuque ordinis fides indici data. Tum patefactum, muliebri fraude ciuitatem premi, matronasque venena coquere. Ab iis, qui indicem per vrbem secuti sunt, quaedam medicamenta coquentes inuentae, quibus in forum delatis atque ad viginti matronis per viatorem accitis duae ex his bibere iussae. Quod cum nec ipsae, nec reliquae abnuerent, epoto medicamento, omnes sua fraude interierunt, comprehensaeque earum comites magnum matronarum numerum indicauerunt, ex quibus ad 170 damnatae. Ex illo inde tempore ars infelix venena coquendi inter Romanos seruata. Legem tamen de veneficio expressam ante V. C. 673. non reperi, tum vero lege Cornelia de sicariis et veneficiis non is solum punitus, qui hominis necandi causa venenum confecisset, dedisset, sed et qui vel habuisset, vel vendidisset *e*).

Legem

a) D. 48. tit. 8. l. 4. §. 2.
b) Cod. IV. tit. 42. l. 1.
c) Ill. Beckmann in Gesch. der Erfindungen. St. 2. p. 260. factum circiter CC. annos ante Chr. perhibet, sed puto esse sphalma typographi e CCCC. legendum.
d) Liuius VIII. 18.
e) D. 48. tit. 8. l. 1.

Legem Iuliam de veneficiis, quam alii Corneliam anteceſſiſſe, alii ſecutam volunt, ex Suetonio male intellecto *f*) originem traxiſſe perſuaſum habeo. Plures tamen de ineuitabili illa fraude leges exſtitiſſe, forſan ex Quintiliani verbis colligas: venenum *leges* habere, emere, noſſe denique vetant *g*). In Digg. *h*) duplex legitur SCtum, quo anno factum ſit, mihi non conſtat; altero relegari iubetur ea, quae non quidem malo animo, ſed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea, quae acceperat, deceſſerit; altero autem effectum eſt, vt pigmentarii, ſi cui temere cicutam, ſalamandram, aconitum, cantharidas &c. dederint, poena legis Corneliae tenerentur, quae primum fuit in inſulam deportatio, omniumque bonorum ademtio, poſtea humiliores beſtiis ſubiecti, altiores in inſulam ſunt deportati. Neque ſilenda, quae Paulus *i*) monuit: ſi ex medicamine, quod ad remedium datum erat, homo perierit, eum qui dederit, ſi honeſtior fuerit, in inſulam deportatum, humiliorem autem capite plexum; qui vero abortionis aut amatorium poculum dederint, etſi id dolo non fecerint, et ex eo mulier aut homo perierit, ſummo ſupplicio eſſe affectos.

§. 7.

De autochiria.

Cum reipublicae, ſecuritatis publicae et priuatae gratia plurimum interſit, ne quis maleficus legibus ſeſe ſubtrahere earumque poenas euadere poſſit, licitum eſſe nullo modo poteſt, vt mortem ſibi quisquam conſciſcat, contra eo magis autochiriae publice occurrendum eſt, ne ſi eorum, qui ſibi manus inferunt, frequentiora fiant exempla, homicida ſub autochirias praeſumptione ſecurior poſſit latere. Itaque et Romanorum leges huic malo obuiam iuerunt et primum quidem poenae exemplum iam ſub rege Tarquinio Priſco *k*) occurrit, a Seruio autem, Virgilii interprete *l*) ſeu potius ab eo, quem ille ſecutus eſt, Caſſio Hemina, Tarquinio Superbo tribuitur. Cum taedium laboris in exſtruendis cloacis ponendi multi fugientes ſuſpendio ſeſe necarent, Tarquinius iuſſit, omnium ita defunctorum corpora crucibus affigi ſpectanda ciuibus ſimul et volucribus laceranda. "Tunc primum, Seruius addit, turpe habitum mortem ſibi conſciſcere." In pontificalibus libris cautum fuiſſe, vt qui laqueo vitam finiſſet, inſepultus abiiceretur, idem eſt auctor. Porro eodem teſte Varro ait: "Suſpendioſis, quibus iuſta fieri ius non ſit, ſuſpenſis oſcillis, velut per imitationem mortis, parentari *m*). Etiam bona eorum, qui ſibi mortem conſciuere, non haeredibus, ſed aerario addi-

f) In vit. Claudii c. 33.
g) Declamat. XIII. 6.
h) L. cit.
i) Sententiarum L. V. 23. et in D. 48. tit. 19. l. 38. §. 5.

k) Plin. XXXVI. 24 3.
l) Ad Aeneid. XII 603.
m) Seruius l. cit. fragmentum in Varron. edd. nondum reperi.

addicenda leges quaedam olim fanciuerunt, verum illae non ante primum post Chr. nat. feculum fere transactum latae mihi videntur. Nunquam autochiria per omnem antiquitatem frequentior, quam Romae sub Augusti quatuor indignis successoribus, cum plurimi sese interficerent, quia crimine maiestatis rei morte voluntaria bona cognatis feruare possent, damnatorum autem fisco vindicarentur. Itaque Tacitus *n*) de iis, qui sub Tiberio de se statuerunt: "humabantur, inquit, corpora, manebant testamenta, pretium festinandi." Postea non licebat iniussu imperatorum et non probatis moriendi caussis ex hac statione decedere. Lex erat: qui caussas in Senatu voluntariae mortis non approbauerit, insepultus abiiciatur. Itaque Euphrates Philosophus obiit mortem voluntariam, quum ei Hadrianus propter senectutem et morbum cicutam bibere concessisset *o*). Sub Diuo Pio tum demum bona eius, qui manus sibi intulit, fisco vindicata, si eo crimine nexus fuit, vt si conuinceretur, bonis careret. Si quis autem taedio vitae vel impatientia doloris alicuius vel alio modo vitam finierit, successorem habere Diuus Pius rescripsit. Adiicit Papinianus *p*), ex quo haec didici: "Sed qui sine causa (idonea) sibi manus intulit, puniendus est; qui enim sibi non pepercit, multo minus alii parcet;" quae ratio valde ieiuna est, nisi quis vocabula "manus sibi inferre, aut sibi non pepercisse" de caede sui suscepta nec tamen peracta intelligat. Non soliti lugeri, teste Vlpiano *q*), suspendiosi, nec qui manus sibi intulerant, non taedio vitae, sed mala conscientia.

Autochiria cum plerumque ex summa desperatione oriatur, politiae est officium, curare homines illa correptos. Itaque Romae videmus carceris praepositum, si pretio corruptus ferrum venenumque in carcerem inferri passus esset, officio iudicis esse damnatum, et si nesciret, ob negligentiam remotum officio *r*), et si custodia (qui custodiebatur) se interfecisset, vel praecipitasset, militis (custodis) id culpae adscriptum *s*).

§. 8.

De duellis, an Romae fuerint?

Duella nostris temporibus praecipuam politiae curam efflagitant, quaerat forsan aliquis ex me, quid Romani de illis statuerint. Duella ea quidem vocabuli significatione, qua nos illo vtimur, Romanis plane ignota fuerunt. Omnino inter Germanorum tantum populos videntur in vsu fuisse et serioris etiam aetatis, cum opinio illa praeconcepta, quae praecipue duella gignit et alit, ex medii demum aeui barbarie sit exorta.

§. 9.

n) Tacitus Annal. VI. 29. ad A. V. C. 787. post Chr. 36.

o) Dio. LVIII. 15. et ibi interpretes.

p) D. 48. tit. 21. l. 3.

q) D. III. tit. 2. de his qui notantur infamia l. 11. §. 3.

r) D. 48. tit. 3. l. 8.

s) Ibid. leg. 14.

§. 9.

De iniuriis, quae corpori inferuntur.

Primis Romae temporibus, vt apud plurimas gentes nondum excultas, vt et apud Israelitas, ius talionis introductum erat, et XII. tabb. lege confirmatum, quam Festus ait *t*) ita sese habuisse: Si membrum rapserit (ruperit) ni cum eo pacit (paciscatur) talio esto. De iniuria, si quis pugno pulsatus aut fustibus caesus vel verberatus esset, punienda ita cautum fertur: Si iniuriam alteri faxit, XXV. aeris poenae sunto *u*). Iniurias tamen atrociores iam XII. tabulae impensiori damno vindicarunt et v.c. propter os fractum nummariae poenae maiores constitutae. Lex Cornelia de iniuriis 673. V.C. lata actionem introduxit, quae competeret ob eam rem, quod se pulsatum, verberatumue domumue suam vi introitam esse quis diceret, quibus verbis omnis iniuria, quae manu fit, continebatur. Omnibus autem legibus antea de iniuria latis, derogauit lex Aquilia s. plebiscitum, cuius annum, quo factum est, ignoramus. cf. D. 9. tit. 2. ad leg. Aquiliam. Lege Iulia de vi priuata tenebatur is, qui conuocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberaretur, pulsaretur, neque homo occisus esset; hac lege damnati pars tertia bonorum publicata *v*).

§. 10.

De cura armorum seruandorum.

Inter veterum Romanorum ad securitatem Vrbis tuendam instituta primo loco habenda est cura armorum, quam suis magistratibus summam esse voluerunt. Nam quo alio modo subuerti securitas, turbarique facilius poterat, quam armis promiscue permissis, quibus ab inimico quilibit opprimi sine remedio magistratuum posset? Itaque simulac ex bello ciues rediissent, arma eorum omnia (si bene memini) in templum Martis et Bellonae, quae extra vrbem erant, collata, nec nisi rursus ad bellum proficiscentibus reddita. Inter XII. Tabb. leges et hanc referunt *x*): Qui cum telo hominis occidendi causa fuerit deprehensus, capital estod. Postea plures, quibus omnino armorum in Vrbe vsus prohiberetur, leges sunt promulgatae. Ita V.C. 675. Lex Plotia lata, cuius caput quoddam fuisse: ne quis cum telo esset, Sigonius ex iudiciis, quae hac lege facta sunt, docuit. Lex Iulia de vi publica, qua is tenebatur, qui arma, tela domi suae praeter vsum venationis vel itineris vel nauigationis coegisset, proprie quidem ad tranquillitatem spectauit, verum etiam ad securitatem illam fecisse ex eo colligi potest, quod in eadem causa fuit, qui pubes cum telo in publicum fuisset *y*). Militibus autem sub finem reipublicae in Vrbe nonnisi gladios gestare permissum fuisse, Dio his verbis decla-

t) Sub voce talionis.
u) Gellius XX. 1.
v) D. 48. tit. 7. l. 1. et 2.
x) Cic pro Milone.
y) D. 48. tit. 6. l. 3. §. 1.

declarat: Caesar επετρεψε μεν αυτοις (scil. militibus seditiosis) ες την πολιν ανευ των όπλων, πλην των ξιφων εισελθειν. Ταυτα γαρ και εν τω αστει αλλως φορειν ειωθεισαν — gladios enim alias in Vrbe gestare consueuerant z).

§. 11.

De nocturna vicorum illustratione, an vnquam Romae fuerit vsurpata?

Magnum securitatis publicae praesidium esse nocturnam vicorum luminibus publice accensis illustrationem, qualis nunc in celebrioribus vrbibus etiamque in hac Alma nostra vsitata est, nemo quidem dubitabit. Quodsi igitur apud animum reputemus, Romanorum in conseruanda publica vrbis securitate, sub melioribus certe Imperatoribus, sollertiam, Romam autem saepius luminibus legamus ornatam, e. g. in pluribus ludis a), praesertim secularibus, deinde cum Nero Tiridatem, Armeniae regem, Romam adduceret, V.C. 819. post Christ. 68. b) et Seuero Vrbem intrante V.C. 946. p. Chr. 195. c); porro in animum reuocemus, Antiochiae iam olim d) morem, vt de nocte vicos publicos accensis lucernis illustrarent, exstitisse, vix satis mirari possemus, Romanos de illis luminibus noctu publice accendendis nunquam cogitasse, nisi inter omnes constaret, quod de Columbi ouo narratur, illud in omnibus fere hominum inuentis accidisse. Nunquam Romanos e) de nocturna vrbis illustratione, qua nos vtimur, cogitasse contendi. Nam quae Meursius argumenta ex auctoribus f) inuenisse putauit, quibus contrarium nobis persuaderet, ea ad persuadendum non sufficere, iam ante me alii viderunt. In Cod. autem Iustinianeo L. VIII, Tit. 12. l. 19, vnde alii idem probare conati sunt, *luminaria praebenda* ad lauacrum referenda esse, primo oculorum obtutu, cuius interest locum inspicere, quiuis intelliget. Nemo mihi obiiciat, balnea noctu non patuisse, infra enim, vbi de balneis agemus, apparebit, certo quodam tempore etiam nocturna populo concessa fuisse. Neque ea loca, quae de Christianorum sub Nerone suppliciis diligentissime conquisiuit Ill. Beckmann g) ad rem probandam aliquid facere, ipse ingenue professus est. Contrariam vero, quam ego meam declaraui sententiam, alia etiam probare Ipsi videntur v. c. vsus taedarum lucernarumque, si a coenis domum redirent, perquam necessarius, nisi in spissis tenebris errare aut domum repere vellent, vt Alexis ille apud Athenaeum Deipn. VI, 8.

Non multum edens bibensque multum, protinus
Discedo, lucernam puer nec fert mihi,
Serpo cadens persaepe per nigras tenebras.

§. 12.

z) Dio. 42. 52.
a) Sueton. in Calig. c. 18.
b) Dio. Cass. 63. 4.
c) Idem 74. 1.
d) Libanius Opp. ex ed. Morelli Vol. II. p. 387.
e) Hodie etiam Roma illo commodo caret.
f) Sueton. in Caesare. c. 31. Ammianus Marcell. L. XIV. c. 1.
g) In Gesch. der Erfind. St. I. p. 69 sq. et Tom. II. St. IV. p. 520.

§. 12.
De carceribus.

Carceres publicos, quibus ſceleſti et malefici contineantur et ab hominum iniuriis coerceantur, inprimis ad ſecuritatem vrbis tuendam neceſſarios eſſe, nemo neſcit. Romae itaque iam ſub Anco Marcio, cum in magna multitudine hominum, vt Liuius ait *h*) diſcrimine recte an perperam facti confuſo, clandeſtina facinora fierent, carcer ad terrorem increſcentis audaciae media vrbe imminens foro aedificatus eſt. Qui deinde auctus a Seruio Tullio firmiſſima illa parte (cachot), quae ab eo Tullianum eſt appellata, in quo Catilinae coniuratos Cicero ſtrangulari iuſſit *i*). Et hic quidem diu ſolus in vrbe carcer inuentus, vnde felicia Iuuenalis *k*) praedicat

Secula, quae quondam ſub regibus atque Tribunis
Viderunt vno contentam carcere Romam

Carceribus autem, (plures enim poſtea exſtructi *l*),) vinculisque ſontium ſeruandis praeerant Triumuiri capitales, qui et, cum animaduerti oporteret, ſumendo ſupplicio auctores atque moderatores erant *m*). Cum de Bacchanalibus grauis illa quaeſtio eſſet, fugientes illarum conſocios a Triumuiris comprehenſos legimus atque reductos *n*). Carceris cuſtodibus Romani primum vſi ſunt ſeruis publicis, poſtea ſub imperio militibus vrbanis. Ceterum illud probe notandum, nullos Romae fuiſſe carceres praeter eos, quibus malefici vsque dum de iis ſupplicium ſumeretur, ſeruarentur, liberam vero cuſtodiam (Staatsgefänguiſs) Romae non fuiſſe, ſed qui captiui honoratiores perpetua cuſtodia habendi eſſent, eos municipiis per Italiam fuiſſe traditos *o*).

§. 13.
De Aſylis.

Inter pernicioſa ciuium ſecuritati inſtituta, etſi huius gratia primum inuenta, referenda ſunt Aſyla in vrbe, ad quae confugientes ab inſequentibus vi legis defenduntur. Quod Romanos quidem non videtur fugiſſe, cum per omnes reipublicae liberae aetates, praeter Romuli Aſylum, nullum Romae ſit inuentum. Pro Aſylis enim vt templa perfugio eſſent, initium demum factum a Iulii Caeſaris ἡρωῳ a Triumuiris exſtructo et quidem cum hoc iure, vt perfugium eo cunctis eſſet, ὁπερ, vt Dio C. addit *p*), *ουδενι ουδε των θεων, πλην των επι του Ρωμυλου γενομενων, εδεδωκεσαν*, quod ante ne deo quidem cuiquam conceſſum, exceptis iis, quae ad Romuli aſylum

h) Liv. I. c. 33.
i) Salluſt. in Catilin. 55. 3.
k) Iuuenal. Sat. III. v. 312.
l) Liv. 3. 57. Plin. VII. 36. cf. Götting. Anzeigen 1790. St. 186.
m) Pomponius de orig. iuris. II. 30.
n) Liv. 39. 17.
o) Salluſt. Catil. 50. 43. Velleius I. c. 9. et ibi Intprett.
p) Dio. L. 47.

asylum pertinent. Postea tamen plura pro asylis templa Romae fuisse, ex Taciti quodam loco mox excitando recte forsan elicias. Certius tamen est aliud Asylorum genus sub Imperatoribus frequentatum, principum scilicet statuae atque imagines *q*). Religioni enim ac venerationi tantae illas esse habitas constat, vt extrahere, rapere, violare eos, qui ad illas confugissent easque praetulissent, sine capitis poena non liceret. Itaque iam sub Tiberio V. C. 774. *r*) cum deterrimo cuique licentia incederet (al. insideret) impune probra et inuidiam in bonos excitandi arrepta imagine Caesaris, libertique etiam ac serui, patrono vel domino cum voces, tum manus intentarent, vltro metuerentur, C. Cestius Senator disseruit: "principes quidem instar Deorum esse, sed neque a Diis nisi iustas supplicum preces audiri, nec quenquam in Capitolium aliaue vrbis templa perfugere, vt eo subsidio ad flagitia vtatur." Tiberius quidem, teste Suetonio *s*) ius moremque asylorum, quae vsquam erant, aboleuit; de quo tamen an etiam Romae id fecerit, sunt qui recte dubitent. Illud certum accepimus, ad statuas principum confugere, nisi quis ex vinculis, vel custodia detentus a potentioribus, ad huiusmodi praesidium confugerit, imaginesue principum in iniuriam alterius portare, etiam SCtis fuisse prohibitum *t*), qui contra fecisset, etiam in vincula publica missum, quod etiam Diuus Pius rescripsit. Cum et statuae Deorum eodem iure essent, quibusdam erat adscriptum: A SERVO NON TANGI.

CAP. I. SECT. I. PARS II.

De periculis, quae ab imprudentia et socordia vitae ciuium imminent.

§. 14.

De bestiis nocentibus.

De bestiis nocentibus XII. Tabularum lege ita cautum: Si quadrupes pauperiem faxit (damnum dederit), dominus noxi aestimiam oferto (aestimationem noxiae); si nolet, quod noxit (animal quod nocuit), dato *u*). Idem etiam lege Pesulania de cane cautum fuisse, Paulus auctor est sent. L. I. tit. 15. Boui autem cornipetae foenum alligandum erat, vt qui obuiam fieret, eius vitaret occursum, vnde Horatianum illud: Foenum habet in cornu, fuge! Postea vel sub extrema reipublicae tempora, vel non ita multo post illam euersam (tempus enim non nisi ex argumentis internis definire licet) Aediles, quibus viarum securitas tuenda tradita erat, ob luxuriam quaestio-

q) Seneca de Clem. I. c. 18. Seruis ad statuam licet confugere.

r) Tacit. ann. III. 36.

s) In Tiberio. c. 37.

t) D. 48. tit. 19. l. 28. § 7. ibid. 47. 10. l. 38. et Cod. I. tit. 25. de his qui ad statuas confugiunt.

u) D. IX. tit. 1. l. 1.

quaestionum quotidie ex culpa emergentium Edicto prohibuerunt: Ne quis canem, verrem vel minorem aprum, lupum, vrsum, pantheram, leonem aliudue, quod noceat animal, siue solutum, siue adligatum ibi habeat, vbi vulgo iter fit. Si aduersus ea factum erit, et homo liber ex ea re perierit, solidi ducenti, si nocitum homini libero esse dicetur, quantum bonum aequum iudici videbitur, ceterarum rerum, quanti damnum datum factumue sit, dupli *x*). Feram bestiam in ea parte, qua populi iter est, colligari, etiam a Praetore prohibitum Paulus memorat sent. L. I. tit. 15. Quod edictum praecipue spectauit ad belluas, quas proceres Rom. in clathris et cancellis ferreis vel ligneis continebant, donec spectaculis populo exhibendis plurima producerentur. Vix autem tanta custodiri poterant diligentia, quin aliquando erumperent, et per vrbem vagantes horrendas strages ederent. Hinc Chrysostomus *y*): "viuaria, scribit, publica in quibus bestiae ad spectacula seruabantur, remota fuisse a Curia, Praetorio et Palatio, ne forte bestiis erumpentibus periculum in his locis cuiquam crearetur." Huc etiam pertinet fossa illa in gyrum producta, Euripus dicta, quam Caesar, etsi iam antea clathris ferreis arena fuerat circumdata, Circo addidit, ne Elephanti circo inclusi populum terrerent, si forte eruptionem, sicut antea aliquando, tentarent *z*). Ad securitatem a bestiis nocentibus etiam illud referendum, quod Paulus in Digg. *a*) docet; scilicet in circulatores, qui serpentes (forsan et alia animalia) circumferrent et proponerent, si cui ob eorum metum damnum datum, pro modo admissi actionem esse datam. Nec a re alienum videtur verbo monere de furiosorum tutela quam habebant agnati, quorum culpae adscribendum esse, si aliis furiosi exitio sint, Diuus Marcus et Commodus rescripserunt *b*).

§. 15.
De deiectis vel effusis.

Sine metu atque periculo per vrbem vt commeari possit, curandum, iterque facientibus diligenter esse prospiciendum, ne socordia et incuria inhabitantium laedantur, facile est ad intelligendum. Quod autem a deiectis et effusis periculum Romae iter facientibus imminebat, ei quidem eo magis erat prouidendum, quo altiora educerentur priuatorum aedificia, de quorum parte superiore etiam leue pondus deiectum cadendo maximum impetum capere necesse erat. Itaque hac de re Praetor, quantum ex aliis coniicere licet, satis mature, edictum proposuit, quod ita se habet: Vnde in eum locum, quo vulgo iter fit, vel in quo consistitur,

 deiectum

x) Vid. Ed. egregie illustratum ab Ev. Ottone de Tutela Viar. P. III. c. 1.
y) Homilia 60 in Mathaeum.
z) Plin. H. N. VIII. 7.
a) D. 47. 21. l. vlt.
b) D. I, tit. 18. l. 14.

deiectum vel effusum quid erit, quantum ex ea re damnum datum factumue erit, in eum qui ibi habitauerit, in duplum iudicium dabo. Si eo ictu homo liber periisse dicetur, 50 aureorum iudicium dabo, si viuet, nocitumque ei esse dicetur, quantum ob eam rem aequum iudici videbitur, eum cum quo agitur condemnari, tanti iudicium dabo c). — Simili modo ei, qui ea parte, qua vulgo iter fieri solebat, id positum aut suspensum haberet, quod, si ceciderit, alicui nocere posset, poena X aureorum constituta d). Si putator ex arbore ramum cum deiiceret vel machinarius hominem occidit, ita tenebatur, si is in publicum decidit nec iste proclamauit, vt casus eius euitari posset e). Notabile etiam est mirum illud edictum, quod Aediles, cum populus in theatro paene obruisset Vatinium quendam, proposuerunt: Ne quis aliquid praeter pomum iacere vellet f). Pilarum vero lusum in Vrbe ibi permissum fuisse, vbi vulgo tonsores raderent, aut his licuisse, eo loco radere, quo ex consuetudine luderetur, quod factum esse ex Digg. liquet g), neutrum politiae Romanorum laudi duci potest.

§. 16.

De plaustris intra Vrbem interdiu non ducendis.

Quodsi hominum multitudinem, ciuitatem, in qua turba per latissima h) itinera sine intermissione defluens elidebatur, et pericula cogites, quae inde a vehiculis et plaustris, quibus non facile cedere posses, praetereuntibus imminerent, nullus miraberis, etiam huic malo esse prouisum. Huc quidem spectat, quod ad nostra tempora peruenisse laetamur, legis antiquae fragmentum i) ex tabula aerea, cuius quidem legis, etsi auctor et annus incertus, certum tamen est, illam non multo tempore post C. Sempronii Gracchi interitum fuisse promulgatam. Verba legis ita se habent: QVAE. VIAE. IN. V. R. SVNT. ERVNT. INTRA. EA. loca. vbi. continenti. habetabetur. nequis. inieis. vieis. post. k. Ianuar. primas. plostrum. inter. diu. post. solem. ortum. neue. ante. horam. X. diei. ducito. agito. nisi. quod. aedium. sacrarum. Deorum. inmortalium. caussa. aedificandarum. operisue. publice. faciumdei. caussa. aduhei. portari. oportebit. aut. quod. ex. vrbe. exue. ieis. loceis. earum. rerum quae publice. demoliendа. loca. erunt. publice. exportarei. oportebit. et. quarum. rerum. caussa. plostra. certeis. hominibus. certeis. de. causeis. acere. ducere. licebit. In reliquis nominatim excipiuntur sacra publica, ludi, triumphi, quorum caussa, quo minus

c) D. IX. tit. 3. l. 1.
d) Instit. L. IV. tit. V. l. 1.
e) D. IX. tit. 2. l. 31.
f) Heineccius ad Edict. Aedilit. p. 64.
g) D. IX. tit. 2. l. 11.
h) De hoc vid. infra, vbi de viis agemus.

i) Fragm. hoc a generoso viro Briano Fairfax ex Italia coemtum, primum a Mich. Mettaire descriptum in lucem prodiit 1738. post biennium vero a Fr. Carol. Conrado in Parergis egregie illustratum, vnde a Mazocchio ad Tabb. Heracl. repetitum.

minus plauſtra interdiu in vrbe ducantur. H. L. N. R. Plauſtra etiam, quae noctu in vrbem inducta ſint, ea vt inania aut ſtercoris exportandi cauſſa poſt ſolem ortum H. X. *k*) diei, in vrbe Roma et ab V. R. P. M. ducantur, lex non prohibet. Hora vero decima diei plauſtra in vrbe duci lex ideo permiſit, quia cum a negotiis iam ceſſarent Romani et poſt lauationem coenam ſumerent, parcius tum per vias commeantibus a plauſtris obuiis non adeo timendum erat. Legem vero iſtam Iuuenalis tempore fuiſſe oblitteratam, ex Vmbricii *l*) Baias migraturi querelis licet colligere. Quare Hadrianus, teſte Spartiano *m*) denuo prohibuit, vehicula cum ingentibus ſarcinis vrbem ingredi, quod iam Traianum feciſſe ex Plinio *n*) diſcimus. In Septimontiali ſacro abſtinendum fuiſſe vſu vehiculorum, quae iumentis traherentur, Plutarchus auctor eſt *o*). Nimirum eo feſto propter multitudinem populi, qui ex vniuerſa Italia in vrbem confluebat, vſus vehiculorum vix eſſe poterat, vt anno praeterito Pariſiis accidit, cum feſtum libertatis celebrarent idibus Julii. Pari modo in ludis Auguſtalibus curru vehi haud permiſſum *p*).

Ne quid notabile hoc loco praetermiſiſſe videar, mentio adhuc facienda eſt legis Oppiae, quae V. C. 539. vel 41. lata ſic ſeſe habuit: ne qua mulier iuncto vehiculo in vrbe aut propius inde mille paſſus, niſi ſacrorum publicorum cauſſa veheretur. Verum enim vero haec lex, iam poſt XX. annos iterum abrogata *q*) non ad ſecuritatem viarum, ſed ad leges ſumtuarias ſpectauit, vt et SCtum de legibus matronalibus Lampridio *r*) laudatum.

Cum turbae per vrbis itinera preſſae antea mentio ſit iniecta, lubet verbo monere de plurimis illis vomitoriis in theatris amphitheatriſque factis, ne populus glomeratim ingrediens aut finitis ludis effuſus concurſu elideretur *s*).

§. 17.
De ruinis.

Varia vitae ciuium pericula, quibus politiae officio liberari debent, etiam ab aedificiorum ruinis imminere, nemo eſt, qui ignoret. Romae autem frequentiſſimas fuiſſe ruinas, multi auctores teſtantur *t*). Aucta vero ruinarum pericula praecipue ab altitudine aedificiorum *u*), ad cuius auxilium deuenire res ipſa coegit, cum in maieſtate vrbis et ciuium infinita frequentia, plana in vrbe area multitudinem ad habitandum recipere non amplius poſſet *x*). Itaque libera florente republica a Rutilio quodam de modo aedi-

 ficiorum

k) Hora decima, vt Conrado placet, horis decem Mazocchius pronunciandum putat.
l) Iuuenal Sat. III. 254.
m) In eius Vita c. 22.
n) In Panegyrico 51.
o) Quaeſtion. Rom. 68.
p) Tacit. ann. I. 15.
q) Liv. XXXIV. 7 ſq.
r) In Heliogabalo. c. 4.
s) Macrob. Saturn. VI. 4.
t) Strabo V. 20. Iuuenal. III. 5 ſq.
u) Seneca Controv. IX. 11.
x) Vitruv. II. 9.

ficiorum iam habita oratio, quam ab Augusto Senatui recitatam populoque per edictum notam factam, quo magis persuaderet, eam rem antiquis iam tunc curae fuisse, Suetonius perhibet *y*). Ipse Augustus ruinis subuenturus nimiam aedificiorum altitudinem sustulit vetuitque, ad vicos publicos altius LXX. pedibus tollere *z*). Etiam Nero aedificiorum altitudinem cohibuit *a*), quem vero in ea re modum seruarit, non constat, forsan eundem Augusti oblitteratum reuocauit. Traianus autem statuit: ne domorum altitudo LX. superaret pedes ob ruinas faciles et sumtus, si quando talia contingerent, exitiosos *b*). Ruinarum caussa idem vehicula cum ingentibus sarcinis vrbem ingredi prohibuit. Hinc Plinius *c*): "non vt antea, inquit, immanium transuectione saxorum vrbis tecta quatiuntur; stant securae domus, nec iam templa nutantia;" et alibi *d*): "Magnum hoc tuum non erga homines modo, sed erga tecta ipsa meritum, sistere ruinas." Romanos quidem lateritii operis parietes in vrbe haud passos esse, huc etiam spectare forsan alicui videatur, nisi aliam eius rei rationem Vitruuius *e*) traderet. Ceterum inter Aedilium praecipua munera et hoc memoratur: studere, vt murus pariesue vitio fatiscens et in ruinam pronus atque viae publicae confinis, siue aedium propriarum siue aliorum dirueretur, ne ruina praetereuntibus nociua foret, atque hoc vt facerent, indicta multa cogere aedium dominos *f*).

CAP. I. SECT. I. RARS III.

De Cura valetudinis.

§. 18.

Minoris omnino momenti fuerunt Romanorum de hac politiae parte merita, veruntamen et pauca ab illis praestita, vtpote in rebus, in quibus gentis humanae tantum interfit, quaeque tam sero et nostris demum temporibus ad aliquam perfectionem perductae sint, ea, inquam, qualiacunque tandem fuerint, memoria digna. Valetudinis autem cura, quatenus ad politiam spectat, quatuor potissimum rebus cernitur,

1) vt aer in vrbe purus sit, et omnia remoueantur, quae illum possint inficere.

2) Cura

y) In Aug. c. 89.

z) Strabo L. V. p. 135. ed Casaub.

a) Tacit. ann. XV. 43.

b) Aur. Victor Epit. ad Vit. Traiani sub fin. Mensorem aedificiorum aliquando inter magistratus fuisse, lapis apud Reinesium docet syntagm. Inscr. Class. IX. 85.

c) In Paneg. 51. 1.

d) Ibidem 50.

e) Vitruv. II. 8.

f) D. 43. tit 10. l. 2.

2) Cura fori, ne quis ad victum necessaria atque edulia vendat, quae ciuium sanitati officiant.
3) Vt medici et pharmacopolae in vrbe sint publice constituti.
4) Si morbi epidemici contagionesque vrbem inuadant, vt publice illis remedia quaerantur et procurentur. De quibus quid Romani statuerint, nunc sigillatim videndum.

§. 19.

De cura purioris in vrbe aëris.

I. *De cloacis.*

Quod ad hanc primum attinet, apud veteres coelum vrbis grauius aëremque infamem fuisse, Frontinus affirmat *g*) et quidem propter immunditias vrbis et impuriores halitus, tum ex illis, tum ex aquis, quae in imis vrbis partibus stagnabant, manantes. Alteri quidem incommodo aquarum scilicet stagnantium remedium Romae paratum est ope cloacarum. Ita enim Livius *h*) de Tarquinio Prisco scripsit: "infima vrbis loca circa forum aliasque interiectas collibus conualles, quia ex planis locis haud facile euehebant aquas, cloacis e fastigio in Tiberim ductis, siccat." Et de Tarquinio Superbo idem: "cloacam maximam, inquit, receptaculum omnium purgamentorum vrbis sub terra agendum curauit, cui operi vix noua haec magnificentia quidquam adaequare potest *i*)." Sicuti hoc loco Livius, ita et alii scriptores in his operibus laudandis praedicandisque magnifice sibi indulgent *k*). Praeter illas a regibus aedificatas sequenti tempore et aliae institutae, vt a censoribus M. Catone et Valerio Flacco V. C. 571. *l*). Omnino cloacarum cura antiquitus ad Censores spectauit, qui eas et detergendas et reficiendas redemtoribus locarunt. Quod ad purgationis sumtus attinet, cloacas, cum aquas non transmitterent, a censoribus mille talentis *m*) purgandas fuisse locatas, Dionysius Hal. auctor est *n*). Sub Augusto etiam Aedilis, Agrippa scilicet, sed vt videtur extra ordinem, non solum veteres detersit, sed et nouas fecit, sic vt Roma tota pensilis subtus nauigaretur. Sub Imperatoribus ad Curatores aluei et riparum Tiberis et Cloacarum illa cura delata *o*) et vt minori aerarii impendio cloacae purgarentur, vtebantur poenae damnatis, quos et ad balneum, munitiones viarum vicorumque datos accepimus *p*).

De viarum purgatione, qua praecipue aërem vrbis puriorem conseruari constat, capite tertio, vbi de viarum tutela sermo fiet, agemus. Hoc loco monere

g) De aquaeductibus art. 88.
h) L. I. 38.
i) L. I. 56.
k) v. Plinius H. N. XXXVI. 24.
l) Liv. XXXIX. 44.
m) Ex nostra moneta 1,200000 Thaleris.
n) Antiqq. Rom. III. c. 67.
o) Sueton in Aug. 37. et Gruter Inscriptt. p. 498. n. V. 381. III. 493. I. 454. V.
p) Plin. Epp. X. 4.

monere ſatis habeo, grauiter mulctatos eſſe, qui morticina, exuuias animalium aliaque purgamenta in publicum proieciſſent. D. 43. tit. 10. l. 5.

II. *De ſepulturis in Vrbe prohibitis.*

Ad remouendorum ab Vrbe impuriorum halituum quos a ſepulturis in vrbe exiſtere neceſſe eſt, curam primum ſpectat XII. Tabb. lex de ſepulturis: In vrbe ne ſepelito *q*). Romae autem multo ante latas a Decemuiris leges more quodam receptum fuiſſe, vt vrbem extra ſepelirentur vita defuncti, ex illa Ciceronis narratione apparet, qua Publ. Valerio Publicolae virtitutis cauſſa ſepulchrum in vrbe a Senatu fuiſſe conceſſum, memoriae prodidit *r*). Legem XII. Tabb. nonniſi de publicis ſepulcris intelligendam eſſe, Minutolus *s*) contendit, parum reputans legem abſolute locutam. Tractu temporis cum exoleſcere illa coepiſſet, iam ſub republica a Coſ. Duillio *t*), poſtea vero etiam ab imperatoribus fuit reſtituta. Hadrianus enim poenam XL. aureorum ſtatuit, tum in eos, qui in ciuitate ſepelirent, tum in magiſtratus, qui id paſſi eſſent, et inſuper locum publicari et corpus alio transferri iuſſit *u*). Quam conſtitutionem repetitam ab Antonino Pio Capitolinus auctor eſt *x*). Theodoſius II. non ſolum ſepulturam in vrbibus, ſed praecipue in eccleſiis, in quibus iam IV. poſt Chr. ſeculo ſepelire ſuperſtitio docuit, interdicto prohibuit *y*). Legibus tamen ſepulturam in Vrbe vetantibus excepta fuiſſe haud nego inſignium quorumdam virorum corpora et Veſtalium virginum, quarum et nocentes viuae in Campo ſcelerato ſunt obrutae. Triumphalis inprimis viri demortui et ambuſti oſſa e buſto in Vrbem inferri licuiſſe Plutarchus docet *z*). Tum vero aeris ſalubritati nihil obfuit. Erat locus Romae extra portam Exquilinam, quem Puticulos vocarunt, vbi pauperum cadauera proiecta puteſcerent. *a*) "Cum vicinitas horum Puticulorum, vt viri docti verba mea faciam, vrbi eſſet inſalubris, Auguſtus haec loca Maecenati conceſſit, aliis locis pauperum ſepulturae deſtinatis, quae forte fuere Culinae appellata."

III. Ad ſalubritatem aëris etiam illud refero, quod cerdones Vrbe prohibitos eſſe memoriae proditum eſt, etſi ſeriori demum aeuo id factum eſſe videa-

q) Non dubito fore multos, qui in tanta antiquitate iam ſapienter inſtitutum mirentur, quod noſtra etiam aetate, religione ſeu potius ſuperſtitione plurimum aduerſante, nondum vbique inſtitui potuerit. Eos quidem hoc loco obſeruare, velim, quanta ſit vis religionis ad mouendos hominum animos, ſapientesque viros illius ope omnia poſſe efficere. Antiquitas enim ſepulturam in vrbe prohibens hanc addidit rationem: *ne ſacra ciuitatis funeſtentur*, Paulus Sent. I. tit. 21. l. 2. Etiam Athenienſes, quo minus locum ſepulturae intra vrbem darent, religione ſe impediri profeſſi ſunt. Cic. ad Div. IV. 12.

r) De Legg. II. ſub fin.

s) In Diſſ. de Sepulcris vid. Theſ. Graev. Tom. I. p. 134.

t) Sequor hic fidem V. Ill. Gedike in Berlin. Monatſchrift. T. V. pag. 86. neſcius, vnde ille hauſerit, mihi enim talis lex nunquam occurrit.

u) Vlpian in D. 47. tit. 12. l. 3. §. 5.

x) In Ant. c. 12.

y) C. Theod. IX. tit. 17. l. 6.

z) Quaeſt. Rom. 79.

a) De LL. libro IV. 5.

videatur. Certe Artemidorus *b*): coriariam exercere, inquit, malum, id eſt, mali ominis omnibus, "*corpora enim mortua abiectat cerdo*, *ideoque ab vrbe ſecluditur.* Trans Tiberim autem cerdonum genus oculis naribusque moleſtum relegatum cenſet Panuinius, in regione enim XIV. Coriaria etiam Victor ponit.

Forum piſcarium ab vrbe tanta, quanta vetus Roma fuit, ſemotum, ſi noſtra quidem aetate audirem, ſatis certus eſſem ad puritatem aëris conſeruandam illud ſpectare, ne ſcil. piſcium putridorum exhalationibus aër inficeretur. Verum enim vero cum forum illud ante XX. ſecula ad Tiberis ripas inſtitutum eſſe legam, eandem cauſſam ſubfuiſſe nequaquam mihi perſuadeo, cum et in aperto ſit, opportunitatis gratia locum ad Tiberim fuiſſe electum.

Ceterum vitium illud quod in vrbe reſtituenda poſt Gallicum incendium erat commiſſum, quod non ad lineas directas vicos exſtruerent, viarumque anguſtarum flexarumque incommodum, quo, quibus optime aër corrigitur, ventorum perflatus prohiberent, Neronis tandem conſilio, etſi alias parum laudabili, maximam partem fuit ſublatum.

§. 20.

De cura fori, ne inſalubria vendantur edulia, et de aqua publica.

Inter praecipua Aedilium officia ſatis mature et fori cura, ſeu cum plura iam in ciuitate eſſent, fororum, Boarii ſcil. Suarii, Piſcarii, Macelli, Cupedinis &c. omniumque omnino locorum, vbi res venales proſtarent, memoratur. Iure ſuo fungi Aediles dicuntur, ſi eos, qui vtenſilia, ἐπιτήδεια negotiantur, id eſt, propolas, adulterinarum mercium venditores, et tabernarios, qui cibos minutatim in tabernis vendunt, per lictores ſuos flagellis caedant, ſi quid in fori leges peccare ſint auſi. Hoc enim genus hominum contemtiſſimum Romae et ſeruili quadam macula adſperſum habebatur. Alias merces improbas per Lictores adiiciebant. Omnes autem Aedilium iurisdictioni ſubiecti, qui mercimoniis publicis praeerant, nec ii tantum, qui olera in foro vendebant, ſed etiam dulciarii, panifici, ii, qui medicamenta tabida et falſa pro ſinceris vendebant, caupones, piſcatores, laniones. De laniis nobilis exſtat inſcriptio *c*), ex qua nullam carnem vendi licuiſſe, niſi antea ab Aedilibus inſpectam, diſcimus:

C. TITINNIVS. AED. PL. MVLCAVIT. LANIOS. QVOD. CARNEM. VENDIDISSENT. POPVLO. NON. INSPECTAM. &c.

De

b) Artemidorus Onirocrit. I, c. 53. Is quidem ego non ſum, qui ex hoc libro probari aliquid de Vrbe Roma poſſe exiſtimem, verum cum reliqua illi Graecorum mori, cerdones ab Vrbibus ſecludendi, conueniant, etiam Romanos illo vſos eſſe, haud ita improbabile videtur.

c) Apud Reineſium Claſſ. IV. 3. Dodwell Praelect. Cambden. p. 665. et Heineccius ad Ed. Aedilitiam.

De aqua pura, limpida et ad potum salubri, quam ad tuendam hominum sanitatem maximi esse momenti, nemo nescit, et in qua ciuibus procuranda atque tuenda, eximiam laudem Romani meruerunt, vide sis caput libelli III. vbi de cura aquarum omnino agere nobis propositum est.

§. 21.

De medicis et pharmacopolis Romae.

Persequenda nunc ea pars curae valetudinis, quae ad eam restituendam seu ad morbos propulsandos arcendosque propius spectat, et in hac quidem excolenda parum aut nihil Romani praestiterunt. Notum enim est, ad DC fere annos populum Romanum sine medicis degisse *d*). Quod ne quis nimium miretur, apud animum reputemus priscorum Romanorum asperam gentem laboribusque perpetuis ferream fere et duratam, quae cibo vteretur nonnisi facili, nec per artem voluptatemque corrupto, sed quae nisi esurientibus placere non posset, et hanc quidem gentem minori periculo sine medicis viuere potuisse, quam molles et effeminatos, qui vmbratilem vitam gerunt, luxuque diffluunt, nemo dubitabit. Immunes igitur dum essent Romani a multis morbis ac malis, quae multa demum fercula fecerunt, dum luxus nondum surrexisset in tantum, nec tam late sese sparsisset, poterant istorum vitiis obstare simplicibus remedia simplicia, paucarumque herbarum, quibus sanguis sisteretur et vulnera coirent, scientia diu sufficere. Itaque vt ad historiam reuertamur, V. C. DXXXV. demum anno primum e medicis venisse Romam ex Peloponneso Archagathum eique ius Quiritium datum et tabernam in compito Acilio publicitus emtam fuisse Plinius ex Cassio Hemina memoriae seruauit *e*). Verum damnasse populus Rom. medicinam dicitur, i. e. chirurgiam improbauit, quia crudelior esset. Archagathus enim vulnerarius primum audiebat, mox a saeuitia secandi et vrendi carnufex. Postea igitur serui ex Graecia in Italiam asportati priuatorum primum medici *f*) fuerunt, quos si in aliis familiis, quae seruos medicos non haberent, quidam aegrotarent, gratificandi caussa his auxilio transmitterent. Deinde vero serui illi manumissi etiam publice artem exercebant. Postea Iulius Caesar omnes medicinam Romae professos, quo libentius et ipsi vrbem incolerent et caeteri appeterent, ciuitate donauit *g*). Augusti temporibus, quod illum graui morbo Antonius Musa liberauerat, vniuerso medicorum ordini ἀτέλεια s. immunitas data. Exinde cum iam in aliquo pretio esset Romae medicina, liberi quoque homines ad illam exercendam ex Graecia Romam venerunt, atque etiam Romani animum ad illam appulerunt, quorum tamen paucissimos fuisse de suis temporibus Plinius testatur.

d) Plin. H. N. 29. 1. qui loc. class. est.
e) Ibid.
f) Varro de R. R. I. c. 16.
g) Sueton in Caes. c. 42.

testatur. Immunitas autem ab Augusto medicis data, Vespasiani, Hadriani aliorumque Imperatorum rescriptis est confirmata, tandem vero immunitate fruentium certum numerum definiri placuit. Imp. vero Alexander medicis annonas etiam addidit *h*) et superiorum principum beneficia posteriores confirmarunt *i*).

Pharmacopolae quidem saepe apud auctores occurrunt, verum hi a nostris quidem infinitum est, quantum distent. Homines fuerunt circulatores, qui medicinam profitentes cum medicamentis aut vniuersalibus, aut arcanis, Mithridatico &c. fora obambularent. Medicamenta vero aegrotis praebenda medici ipsi pararunt.

Templum Aesculapii V. C. 562. in insula Tiberina exstructum nequaquam silentio est praetereundum. Eo enim aegroti deportabantur plurimi, vt pauimento templi subinde incubantes sanitati restituerentur. Parietes templi quaqua versus schedis eorum distincti, qui ex incubatione nocturna sanitatem recepisse putarent, et insignibus donariis templum nobilitatum *k*). Inscriptum etiam templo erat carmine graeco remedium aduersus venena, quo rex Antiochus vti solitus *l*). Additum templo et Nosocomium quidam putarunt, in quo aegrotantes expositi, vt ab Aesculapio sanarentur. Verum illud seriori demum aeuo e regione templi aedificauit Christianorum pietas.

§. 22.

Morborum epidemicorum remedia vnde Romanis quaesita?

Memorandi nunc modi ac consilia, quibus auertere pestes seu morbos contagiosos Romani putarunt. Pestilentiae quidem, seu vt accuratius loquar, morborum contagiones febresque epidemicae, toties a Romanarum rerum scriptoribus, Liuio praesertim, commemoratae in omnium versantur memoria *m*). Quod vero crebrior earum mentio fit per antiquiores, quam seciores aetates, Romanorum politiae laudi ducendum, quippe quae sensim sensimque caussas malorum sustulisse videtur. Priori autem tempore superstitione prohibiti sunt Romani, efficaciora malorum remedia quaerere. Cum ad Deorum iram malorum caussas referrent, sacris indictis, clauo pacto, expiationibus, lustrationibus et supplicationibus Deos placare studuerunt. Notabilis est noua illa medendi ratio qua "Tullus Hostilius cum pestilentia laboraretur salubriora credens militiae quam domi iuuenum corpora fore, eos in bellum eduxit." *n*) Alias "cum pestilentia esset ad leuandam vim morbi lectisternium factum est pacis Deum exposcendae caussa, ludi quoque scenici

h) Lamprid. in vit. Alex. c. 42.
i) Brisson Antiqq. Select. L. I. c. 3.
k) Freinsheim in Supplem. Liv. XI. 12 sq.
l) Plin. H. N. XX. c. vlt.
m) Vid. Ill. Heyne de febribus epidem. Romae in Opusc. Vol. III. p. 108 sq.
n) Liv. I. 26.

fcenici inter alia caeleftis irae placamina inftituti;" *o*) "fupplicatum per compita tota vrbe eft;" *p*) "in omnibus vicis facellisque peregrina atque infolita piacula pacis Deum expofcendae animaduerfa;" *q*) "libri aditi, quinam finis aut quod remedium mali a Diis daretur, et inuentum in libris, Aefculapium ab Epidauro Romam arceffendum." *r*) Factum hoc V.C. 562, quo anno et templum ipfi exftructum iam vidimus. Ceterum caufas quibus peftilentias ita dictas Romae frequentius ingruere et latius vagari potuiffe cenfendum eft, vide fis in Epimetro III. Heynii ad progr. laud. Opufc. III. p. 126.

Triumuiri valetudinis, fi quidem talem magiftratum vnquam Romae, licet fub Imperatoribus demum et feriori aeuo exftitiffe, probari poffet, omnibus, qui antiquitatem norunt, memoria digniffimi videri deberent. Et iftos quidem Romae fuiffe et quidem peftis caufa creatos Onuphrius Panuinius nobis perfuadere conatus eft. In antiquo enim argenteo nummo fic fcriptum inuenit: M. ACILIVS. IIIVIR. VALETVD. quod interpretatur: Triumuir valetudinis tuendae. Verum enim vero quis, quam infirmo atque caduco fundamento nitatur ifta fententia, non videat? noftrorum temporum inftituta in antiquitatem translata quis non intelligat? Eft enim longe alia iftius nummi interpretatio, quae certe antiquitatis genio multo magis conuenit. Quodfi in memoriam reuocemus, falutarium numinum facra Romae ac aedes fuiffe, Liuium vero *s*) facrarum aedium reficiendarum Triumuiros memorare creatos, iftae autem vt reficerentur, faepius curam fuiffe habendam, Valetudini denique aedem in Auentino fuiffe dicatam, quis eft, cui non multo probabilius videatur, M. Acilium aliquando inter IIIviros facrarum aedium reficiendarum fuiffe eique reftaurandae aedis Valetudinis curam iniunctam? cf. Ez. Spanheim de vfu numifm. T. II. ed. Verburg. pag. 14 fq.

CAP. I. SECT. I. PARS IV.

De cura annonae.

§. 23.

Accedimus nunc ad eam politiae Romanae partem, quae inter omnes latiffime patet. Agitur de periculo, quod ab annonae anguftia vitae ciuium inftat, arcendo atque propulfando, cuius tanta Romae cura eft habita, quantam nullo tempore neque antea neque poftea, in nullo populo, in nulla vrbe vnquam geftam accepimus. Duplici autem modo fecuritati vitae, quatenus annonae

o) VII. 3.
p) XXVII. 3.
q) IV. 15. et 30.
r) Liv. X. 47.
s) XXV. 7.

annonae angustia interpellari illa potest, publice consulitur, primum si omnino, ne caritas annonae atque difficultas existat, prospicitur, deinde vero si speciatim pauperum penuriae prouidetur. Iam vero nostra quidem aetate instituta, quibus pauperes subleuantur et nutriuntur, et ea, quibus, annonae caritas ne existat, prospicitur, plane discreta sunt atque seiuncta. Apud Romanos aliter sese res habuit. Vtrumque enim illi sub *cura annonae* complexi sunt, adeoque et nobis, qui politiae Romanae quasi effigiem reddere iubemur, est vna comprehendendum, hac tamen lege, vt, vbi fieri poterit, semper ea distinguantur, quae ad curam annonae omnino, et quae ad curam pauperum spectauerint. En ingens antiquitatis campus, quem vix perlustrare vno oculorum obtutu licet! Quod vt eo facilius fieri possit, ita in istius, quam molimur, descriptione versandum esse nobis visum est, vt ageremus

I. De frumento in vrbis vsum comparato atque aduecto,
II. De frumento Romae condito.
III. De frumento Romae distributo aut diuendito.
IV. De magistratibus, qui annonae curam gererent,
 a) extra ordinem constitutis
 b) ordinariis
  α) sub republica libera,
  β) sub Imperatoribus.

§. 24.

De prouinciis frumentariis.

Priscis temporibus quilibet Romanorum cum familia, si ea excipias, quae praedando interdum hostibus abstulerat, ex agro assignato, quem ipse colebat, victum sibi parauit. Saepe tamen propter militiae absentiam, qua agricultura impediebatur, aut segete ab hostibus incensa atque deleta, aut si sterilitate grauis annus esset, penuria existere debuit, et ex finitimis, cum quibus bellum non esset, vt copia annonaria coëmeretur, necessitas cogere. Postea imperii finibus continuo prolatis et inaequalitate bonorum successu temporis inter Romanos (*ὡς εικος*) non minus aucta, tandem nobilium cupiditate latifundiorum malum in rempublicam inuasit, paucaque, vt Horatii verbis vtar, aratro iugera regiae moles reliquerunt; cumque seruis vndique coëmtis eodem tempore agrorum cultum permittere auri sacra fames docuisset, agricultura in fertilissimis Italiae campis, vnde olim in longinquas prouincias portati commeatus, et qui nec postea infoecunditate laborarunt, neglecta iacuit, patres familias manus mouere maluerunt in theatro ac circo, quam in segetibus; vndique igitur ex aliis terris frumentum conuehi necesse

 fuit,

fuit, et prouincias exercitari. Iam vero in his, quas frumentarias appellarunt, prouinciis palmam omnibus praeripuit

Sicilia, quae iam reipublicae temporibus praecipua frumenti fubfidia Vrbi praebuit et a M. Catone datum cellae penuariae, plebis Rom. nutricis, nomen meruit. Altera fuit

Aegyptus, vnde, qui eam tributariam fecit, Auguftus annua ducenties centena millia modium frumenti Romam inuehenda curauit *t*) et, quo feraciorem habilioremque vrbicae annonae redderet, foffas omnes, in quas Nilus exaeftuaret, longa vetuftate oblimatas opere militari deterfit *u*). Idem claffem Alexandrinam frumentariam inftituit *x*), quoniam a piratis maris infeftantibus fingularum nauium curfus impeditus atque, vt antea Pompeii tempore factum, omne generis humani fublatum erat commercium. Claffis vero Alexandrina, vt videtur, ex Conftantini M. inde tempore Conftantinopoli feruiit.

Tertium inter prouincias frumentarias locum, (etfi fecundo forfan ponenda) teneat *Africa*, quam aliquando duplum Aegypti praeftitiffe, affirmat Agrippa rex oratione ad Iudaeos apud Iofephum *y*). Claffis Africana frumentaria ab Imp. Commodo *z*) ab V. C. 943. poft Chr. 192. inftituta fuit; quae immenfam frumenti multitudinem ex Africae portubus Romam transveherent. Praeter hafce praecipuas populi Romani nutrices celebrantur adhuc Sardinia, Hifpania, Boeotia, Macedonia, Cherfonefus, Afia, Syria; neque minus Tufcia adiacenfque regio a copia tritici, vini, cafei et carnium, quas Romae fuppeditabat, annonaria eft appellata eodemque nomine ab Ammiano Marcellino et Hetruria infignita.

§. 25.
De modo frumenti comparandi.

Olim frumentum, fi famem Romani timerent aut penuria ipfa laborarent, per frumentatores σιτολογους Athenienfibus dictos, qui finitimas regiones peragrantes frumentum vbique conquirerent, publice miffos comparatum eft emtumque pretio ex aerario foluto. Poftea vero frumentum a prouincialibus pro vectigali exactum, cuius rei nobiliffimum de Siculis exftat exemplum. Totum vero hoc argumentum optime illuftratur ex Ciceronis in Verrem L. III. feu oratione frumentaria, ex qua, quae huc pertinent, excer-

t) Aurel. Victor in Epit. vit. Aug.

u) Sueton. vit. Aug. c. 18.

x) Cf. intprett. ad Sueton in Aug. c. 98. et Seneca. Ep. 78.

y) De bello Iud. II. 16: Africam ait, octo menfibus populum Rom. pafcere, Aegyptum autem quaternis.

z) Lamprid. in eius vita. c. 17. "claffem Africanam inftituit, quae fubfidio effet, fi forte Alexandrina frumenta ceffaffent." Celebratur etiam inftitutum in nummo apud Triftanum. T. I. p. 725.

excerpenda. Primum inde discimus, omnem fere agrum Siculorum ciuitatum, cum publicus esset factus populi Romani, Siculis esse redditum atque decumanum factum, quemadmodum ante Romanorum imperium fuerat, i. e. aratores Siculos pro agris sibi attributis decumas frumenti Praetori Siciliae dare oportuit, et quidem, quod notabile est, ex lege Hieronica, ab Hierone Siciliae tyranno lata, in qua, quoniam diligenter et caute scripta erat, Romani Sicilia potiti nihil immutarunt. Quodsi autem frumentum pro vectigali exactum non sufficeret, tum ex lege Rupilia Siculi tenebantur, aliud frumentum populo certo pretio vendere. Hoc erat vel *decumanum alterum*, seu decumae alterae *a*), quibus pretium erat a Senatu constitutum in modios singulos IIS terni; vel *imperatum*, cui IIS quaterni constituti. Ad frumentum vero publice emendum SCto vel lege quadam opus erat, quibus pecuniae impendendae summa decerneretur *b*). Praetori quidem mandatum, vt decumas exigeret, Praetoris vero Quaestori certa pecunia ex aerario data, vnde ab aratoribus emeret. Pecunia his adnumerata frumentum ex interiore tractu ad mare comportatum atque Romam deuectum est. In reliquis autem prouinciis, si non eadem, similis certe frumenti comparandi ratio exstitit. Caeterum vbi classes frumentariae non essent, saepe grauis prouincialibus frumenti in Vrbem subuectio; vnde sub Nerone V. C. 812. temperatam illam apud transmarinas prouincias Tacitus auctor est *c*). Alii autem, quo frumenti subuectio impediebatur, incommodo, Imp. Claudius egregie prospexit. "Nam cum loca circum Ostia Tiberis neque tuta essent nauibus appellendis, neque portus commodos haberent, efficiebatur, vt maris imperium parum Romanis prodesset, quum praeter ea quae aestate subueherentur ac in granariis (*αποθηκαις*) conderentur, hieme nihil supportaretur, Claudius ibi immenso sumtu portum Ostiensem exstruxit *d*)," ad cuius introitum altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari eduxit, vt ad nocturnos ignes cursum nauigia dirigerent *e*).

§. 26.

De horreis Romae frumentariis.

Horrea seu granaria ad frumentum publicum capiendum multo ante libertatem ereptam complura Romae fuerunt, prima tamen nonnisi Sempronii Gracchi demum tempore instituta legimus, a quo horrea Sempronia dicta. Numerus eorum sub imperio intantum auctus, vt Victor ad CCC. amplius

a) Loc. class. Liv. XXXVI. 2.

b) Cic. l. c. c. 70: Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex SCto et ex lege Terentia et Cassia frumentaria, ipsique in frumentum imperatum IIS bis et tricies, in annos singulos decernebatur, quod aratoribus solueret, in alteras vero decumas fere ad nonagies. Eodem spectat nummus apud Spanhemium De Vsu. &c. p. 155. fol. in quo scriptum: AD. FRVM. EMV. EX. SC.

c) Annal. XIII. 51.

d) Dio. LX. 11.

e) Sueton in Claud. c. 20.

amplius recenſeat, quorum plerisque cognomina ab auctoribus indita apud illum et omnino in Vrbis deſcriptionibus ſunt quaerenda *f*). Habebant Romani horrea *ſublimia*, quo ſicciora eſſent frumenta condita et *defoſſa*, quia in his diutius conſeruari poſſe credebatur. Structurae erant adeo firmae, tamque intactae et inuictae ab incendiis, vt in illo Neroneo vi, bellicisque machinis ea labefactanda eſſent atque inflammanda *g*). Vetitum tamen erat circa horrea aedificare propius C. pedibus et, ſi quid in hoc ſpatio inaedificatum deprehenderetur, incendiorum metu erat demoliendum. Eraut etiam in portu Oſtiae horrea, in quibus ſubuectum frumentum conderetur, vnde poſtea minoribus nauibus in Tiberi Romam aduеheretur.

Quod ad horreorum curam attinet, ea quidem praecipua in eo verſabatur, vt frumentum incorruptum a fraude aduehentium atque negligentia in horrea transfunderetur *h*); deinde proſpiciendum erat vt ſarta tecta eſſent, ne concepto humore vitiaretur; tum ne nimis concaleſceret, vt ad menſuram pondusque reſponderet; porro cauere, ne nuper horreis illata prius erogarentur, quam vetera condita. Si forte vetuſtate ita corrupta ſpecies eſſet, vt per ſemet erogari ſine querela non poſſet, aut in Tiberim eſt effuſa *i*), aut ex noua portione mixta, cuius adiectione corruptio velata damnum fiſco non faceret *k*). Horreis appoſiti erant Menſores frumentarii, qui populo frumentanti ſpecies emetirentur; quos excuſandae tutelae ius habere Diuus Marcus et Commodus praefecto annonae reſcripſerunt *l*). Valentinianus et Valens Impp. poſt Ch. N. 364. per Reſcriptum iuſſerunt: "vt nobilis, prudens, fidelis, optime ſibi conſcius apponatur Cuſtos ac Menſor, qui vel frumenta modio metiatur, vel iuſtis aeſtimationibus colligat, quanta habeantur in condito." *m*) Colligo inde, ſeriori tempore frumenti in horreis conditi curam fuiſſe neglectam atque turbatam, certe non omnia ex ordine proceſſiſſe. Quodſi enim, vt antea factum, quae horreis illata atque erogata eſſent, tanquam accepta et expenſa in tabulas diligenter eſſent ralata, vt ſciri poſſet, quae copia in horreis eſſet, iſto quidem Cuſtode ac Menſore non opus fuiſſet. Quantus vero fuerit canon vrbis frumentarius, ſeu ille frumenti numerus, qui in vrbe tanta quotannis conſumeretur, id quidem compertum habere, cuius non interſit? Vnicum tantum reperi locum, qui nos facere de illo poſſit certiores, et quidem apud Spartianum in Vita Seueri: "Moriens, inquit, ſeptem annorum canonem, ita

vt

f) Inter praecipua ſerioris aeui Horrea Galbana memorantur, vulgo a Galba Imp. deriuata, rectius autem Galbiana vocantur, vt apud Victorem et in veteri aliquo monumento apud Reineſium VI. n. 126. legitur, a Galbione, qui fuit inter duces Valentiniani III.

g) Sueton. in Nerone. c. 38.

h) cf. Seneca de breuit. vit. c. 18. et 19.

i) Tacit. Ann. XV. 18.

k) Cod. X. tit. 26. de conditis in horreis publicis.

l) Paulus in D. 27. tit. 1. de excuſationib. l. 26.

m) Cod. X. tit. 26. de conditis in horreis, l. 1.

vt cottidiana LXXV. millia modiorum expendi possent reliquit." Itaque annuus canon supra ducenties centena millia modium excucurrit (27,375000). Verum enim vero canonem vrbis frumentarium diuersis temporibus quam maxime diuersum fuisse, per se intelligitur. Augustus enim si ex sola Aegypto annua ducenties centena millia modium inuexit (20,000000) quantum praeterea ex Sicilia, Africa, aliisque regionibus aduectum esse iudicemus?

§. 27.

Leges frumentariae, seu de largitionibus sub rep. libera.

Aggredienda nunc est ea pars curae annonae, qua de frumenti distributione seu vt proprio Romanorum vocabulo vtar, de largitionibus agitur; quae cum ex certis legibus fierent istae ante omnia sunt commemorandae. Quoniam autem ad pauperum curam haec proxime spectant, silentio haud praetereundum est aliud auxilium, quo ad pauperes subleuandos Romani saepius etiam vtebantur, pro colonis scilicet deductio *n*) in agrum hostibus ademtum. Facta etiam haec ex SCto aut populi scito, quorum vtrumque Legem Agrariam appellarunt. Hac quidem definitum erat, quinam ager esset diuidendus, quibus, per quos et quomodo esset dispertiendus. Deducti vero coloni a magistratibus, qui a numero nomen duxerunt, Triumvirorum, Quinqueuirorum &c.

Sed vt veniamus ad leges frumentarias, quas et alimentarias et annonarias appellare placuit, primus quidem de stata ac perpetua frumentatione cum antiquitus semper voluntaria et in arbitrio Senatus fuisset, legem tulit. C. Sempronius Gracchus V. C. 630: "vt semisse atque triente frumentum plebi daretur," quam tamen legem triennio post iterum abrogatam a M. Octauio Tribuno pl. tanquam reipublicae, omnibus nempe ciuibus ex aequo ad frumentationem admissis, immo etiam Consularibus ad eam concursantibus *o*), perniciosissimam, contra vero largitionem ex magna modicam et reip. tolerabilem, et ciuibus et reip. salutarem ab eodem redditam accepimus *p*). Saepius postea hanc legem, qua Gracchus ipse nonnisi in egentium gratiam annonam leuare voluerat, Tribuni plebis restituere sunt conati, vt statim V. C. 634. vbi vero C. Marius Tribunus intercessit et V.C. 652. cuius rogationis L. Appuleius Saturninus *q*) auctor fuit. Interim a Spurio Borio, Tribuno plebis ad inopes subleuandos alia lex est perlata, qua lex agraria saepe agitata omnino abrogaretur et agri in possessione relinquerentur, ea tamen lege atque conditione, "vt ex iis tributa populo penderentur, quae in

n) Ill. Heyne progr. de vet. colon. iure Opusc. Vol. I. p. 298.

o) Cic. de Offic. II. 21. et Tuscul. Q. III. 20.

p) In Bruto. c. 62.

q) Auctor ad Herenn. I. c. 2.

in largitiones (διανομας) cederent quod ad egentium aliquod solatium proficeret; sed non ita multo post Spurius Thorius alius Tribunus etiam tributa abrogauit, quo facto ad vltimum plebs spe omni excidit. V.C. 646. r) — Postea V.C. 662. - M. Liuius Drusus tulit: vt Sempronia lex de frumento plebi ex publico viritim dando valeret, verum eo interfecto Senatus leges eius abrogauit s). Postquam Sulla Tribuniciae potestatis neruos eliserat, nulla largitionis mentio iniici potuit. — Ab V.C. vero 680. cum impetus plebis in patres sustineri non amplius posset, a Coss. Caio Cassio et M. Terentio Lucullo lex frumentaria perlata est, quae ab iis Cassiae et Terentiae nomen duxit, his verbis concepta: vt frumenti alterae decimae a prouinciis coëmerentur pretio in singulos modios IIS. constituto. — V. C. 691. istam secutum est *SCtum*, *in Catonis sententiam*, vt Caesaris conatibus obuiam iretur t). Verum non satis liquet, fueritne haec lex rata vsque ad leges Clodias. Duas enim reperit Contarenus ex Dionis L. XXXVIII. c. 13. qui illas ad acta anni 696. refert, ex fastis vero Capitolinis vtraque lex in A. 695. incurrit. Lex Clodia posterior quam diutissime viguit, ad quam diuturnitatem nihil valuit aeque ac respublica in vnius potestatem redacta.

§. 28.

De Imperatorum largitionibus.

Caesar enim rerum potitus ad plebis animos sibi conciliandos largiri perseuerauit

Gnarus, et irarum causas et summa fauoris
Annona momenta trahi. Namque adserit vrbes
Sola fames, emiturque metus, cum segne potentes
Vulgus alunt; nescit plebes ieiuna timere. u)

Numerum tamen eorum qui ex publico frumentum accipiebant, vltra modum, vt in seditionibus fieri assolet, auctum, instituta prius recensione, ex parte dimidia minuit v) seu vt Suetonius x) tradit "ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico ad centum quinquaginta retraxit." Augustus deinde Caesaris consilium atque πολιτευμα secutus dedit populo publice atque priuatim coemtum y), et quidem V.C. 726. A.N.C. 28. quadruplum prioris frumenti z), cum paulo plus quam ducenta millia accipientum essent. In annonae difficultatibus saepe leuissimo, interdum nullo pretio viritim admensus est a). — A Tiberio autem nouum largitionis genus inuentum ex Tacito obseruauit Contarenus. Nam saeuitiam

r) Appian. Ciuil. I. cap. 27.
s) Liuiana Epitome. 71.
t) Plutarch in Catone.
u) Lucani Pharsal. III. 53 sq.
v) Dio 43, 21. ad ann. 708.
x) Sueton. in Aug. c. 41.
y) Vid. lapidem Ancyran.
z) Dio. 53. 2.
a) Sueton. in Aug. 40.

saeuitiam annonae incusante plebe statuit frumento pretium, quod emtor penderet, binosque numos se additurum negotiatoribus in singulos modios. Sequentes principes frumentum perpetuum largiti sunt. Quod de Nerone Dio *b*) refert, eum των Ρωμαιων το σιτηρεσιον παρεσπασασθαι, id quidem alii negant ad Senecae auctoritatem prouocantes, cuius verba haec laudantur: "frumentum publicum tam fur, quam periurus et adulter accipiunt, et sine delectu morum quisquis ciuis est." *c*) Certe non omnino gratuitum, sed pretio tantum imminuto a Nerone frumentum fuisse dispertitum ex Tacito *d*) colligo. Qui Neronem secuti principes sunt, ii quidem perpetuam populo frumentationem praestiterunt, vsque ad Neruam, qui agrum ad sexcenties sestertium ferme 500000 aureorum dedit, vnde pauperes alerentur, eiusque agri emendi ac diuidundi negotium quibusdam viris Senatorii ordinis demandauit *e*). Mox Traianus 5000 impuberum ex publico aluit *f*), qui statis diebus frumentum acceperunt, donec anno decimo octauo ad ipsius stipendium peruenirent, de qua puerili alimentorum praestatione nummos IV. collegit Aeneas Vicus in Traian. p. 9 et 15.

Tertio post N. C. saeculo Aurelianus illo largitionis genere vsus est, quod supra a Tiberio inuentum vidimus. Teste enim Vopisco "vnciam addidit panibus Vrbis ex Aegyptio vectigali quam ipse gratuitam ementibus dabat, damna pistorum frumento Alexandrino sarciendo." Panis fiscalis (ex fisco comparatus) seu ostiensis quotidie singulis datus eiusdem est Aureliani inuentum, quod largitionis genus vsque ad Constantinum M. vsurpatum est.

Nec vero frumentum solum atque panis praebitus populo est, sed et oleum et caro. Olei largitiones extra ordinem iam sub republica interdum factas, v. c. Scipionis Africani, qui cum Aedilis esset, congium olei in vicos singulos dedit, postea Caesaris et Agrippae, qui salem et oleum populo distribuisse traditur, hic loci non curamus, sed de perpetua olei distributione nobis sermo est. Et hanc quidem a Seuero Imp. institutam, ab Elagabalo imminutam, ab Alexandro autem restitutam Lampridius *g*) memoriae prodidit. Carnis diuidundi principium ab Aureliano, de quo Vopiscus ita scribit: "Idem et carnem porcinam populo Romano distribuit, quae hodieque diuiditur." Sed et post Vopisci tempora qui Aure-

 liani

b) Dio 62, 18.

c) Senec. de benefic. IV. 28.

d) Tacit. Ann. XV. 18. Frumenti pretio nihil additum est, quamuis trecentis nauibus tempestate ac igni absumtis et cap. 39. pretium frumenti minutum vsque ad ternos nummos.

e) Dio 68, 2.

f) Vid. Kappii Diss. de alimentariis.

g) In Alexandro. c. 22. Oleum quod Seuerus populo dederat, quodque Elagabalus imminuerat, turpissimis hominibus praefecturam annonae dando in integrum restituit. Spartian. in Seuero: Olei tantum reliquit, vt per quinquennium non solum vrbis vsibus, sed totius Italiae, quae oleo egeret, sufficeret.

liani vitam P. Ch. N. 291. compoſuit, haec largitio continuata, et ſicuti olim a Traiano piſtorum collegio reperto atque firmato annonae Vrbis mirifice erat conſultum, ita et poſtea Suariorum collegium Romanae copiae cauſa inſtitutum eſt, a quibus ſuillum pecus, quod Italiae quaedam prouinciae tributi nomine quotannis praeſtabant, exactum legimus.

§. 29.

De recenſu populi frumentationis cauſa.

Hactenus largitionum hiſtoria in vniuerſum adumbrata nunc ad diſtribuendi rationem progrediamur. Gracchi largitionem ideo perniciofam et intolerabilem reipublicae fuiſſe, quia omnes ciues, etiam nobiles et locupletiores eam participarent, iam ſupra vidimus. Itaque illa abrogata, cum plebi egenae largitio aliqua neceſſaria eſſet, ſtatim prouidendum erat, vt recenſu quodam habito locupletiores a largitionibus excluderentur et pauperes tantummodo admitterentur. Iam vero de forma atque ratione ſolenni, qua ille ciuium recenſus inſtitueretur, exſtat lex antiqua in eodem tabulae aeneae fragmento Britannico, vnde iam ſupra §. 16. legem ploſtrariam attulimus. Legem integram, vtpote quae verboſe eſt concepta et vt recte intelligi poſſit, multis animaduerſionibus indiget, hoc loco reddere breuitatis ſtudium prohibet. Sententia ſic ſe habet: Quem hac lege ad Conſulem profiteri oportebit, ſi non Romae erit, tum qui eius negotia curabit, aut ſi pupillus erit, tutor *eadem omnia, quae eum, cuius negotia curabit, profiteri oportebit*, iisdemque diebus ad Conſulem, abſente Conſule ad Praetorem vrbanum, ſi hic etiam Roma abſit, ad Praet. peregrinum, aut hoc abſente ad Tribunum plebis profitetor. Hos autem ea, quae quisque profeſſus erat, in tabulas publicas referenda curare, deinde eadem in albo apud forum et cum populo frumentum daretur et vbi daretur, ibi quotidie ad maiorem partem diei propoſita habere oportuit. Sanctio vero legis praeſertim notabilis: "Quicunque frumentum populo dabunt, ſiue quicunque dandum curabit, ne cui eorum, quorum nomina hac lege in tabula in albo propoſita erunt, frumentum dato, neue dare iubeto, neue ſinito. Qui aduerſus ea eorum cui frumentum dederit, is intra menſem vnum ſeſtertios populo dare damnas eſto, eiusque pecuniae, qui volet, petitio eſto."

Hanc quidem legem, cum ne verbo quidem expreſſum ſit, quidnam profiteri debeant ii, ad quod illa ſpectat, aliam anteceſſiſſe, vel principium legis intercidiſſe ſi quis contendat, ei non valde repugnem. Ex ſanctione tamen legis admodum veriſimile eſt, hac lege, praeter generalia, praecipue *cenſum facultatum* fuiſſe profitendum. Quodſi hoc ita ſe habet, tunc quidem apparet, quanta cura cautum fuerit, ne ditiorum aliquis frumenti fieret particeps.

Tantum

Tantum de veteri illo modo per professionem bonorum locupletes a frumentatione arcendi. Postea enim alio et nouo modo populi recensus frumentationis causa institutus a C. Iulio Caesare, de quo Suetonius his verbis tradit *h*): "Recensum populi nec more nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit." Hunc postea modum etiam Augustum retinuisse, idem auctor est in eius Vita c. 40. "populi recensum vicatim egit." Nouus autem hic tenuiores vicatim adnotandi mos (quomodo id per dominos insularum sit factum speciatim non liquet, forsan ita vt domorum vel insularum possessores, qui eas plebi egenae locarent et hominum fortunas optime noscere possent, publice testarentur, quaenam et quotnam pauperum familiae suas insulas inhabitarent frumenti publici beneficio dignae) ille modus, inquam, vtrum seriori tempore non immutatus manserit, an alius in eius locum successerit, veterum testimoniis omnino destitutus definire non ausim. Illud certe notandum, sub Imperatoribus pauciores fuisse a frumentatione exclusos, quin ipsos Iudaeos, teste Philone (in Legat. ad Caium) et libertos ad eam admissos *i*), Antonium Pium autem pueros et puellas nouorum hominum frumentariae perceptioni adscribi praecepisse auct. Capitolino.

§. 30.

Destribuendi ratio.

Erant igitur Tabulae publicae modo supra descripto vel quocunque alio confectae, quibus nomina eorum, quibus frumentum deberetur, erant contenta. Recensitis dabantur tesserae frumentariae dictae, ex ligno aut metallo, aeneae, vt plurimi volunt, in quibus nomen accipientis et grani accipiendi quantitas notata quibus acceptis ire iis licebat ad horrea publica petitum frumentum. Erat Romae duplex porticus, *Minucia vetus* et *frumentaria* a M. Minucio Rufo, qui V. C. 643. Cos. fuit, exstructa *k*), non alium prorsus in vsum, quam ad frumenta, seu potius tesseras frumentarias distribuendas. Has quidem porticus sub Imperatoribus erogandis tesseris frumentariis inseruiisse, sat nouimus. Verum non gregatim et confertim accedentibus in Minucia tesserae distributae sed ostiatim ad turbas declinandas, ita vt sua tribubus singulis ostia fuerint et tribulibus singulis suus mensibus singulis dies constitutus. Quouis enim mense frumentum distributum, vnde σιτηρέσιον ἐμμηνον Appianus memorat. Augustus, "ne plebs frumentationum causa frequentius a negotiis euocaretur, ter in annum quaternum mensium dare destinauit, sed desideranti consuetudinem veterem, concessit rursus, vt sui cuiusque mensis acciperet *l*)." Tesseras vendere atque legare,

 quia

h) In Caes. c. 42.
i) Scholiast. apud Lipsium Elect. c. 8. et Dio. 39. 23.
k) Vid. Mazocchi ad Tab. Heracl. p. 318 sq.
l) Sueton. in Aug. c. 40.

quia teste Vlpiano, nulla lex vetabat, inde non raro fiebat, vt qui non recensiti essent, nihilominus frumenta acciperent. Seriori aeuo frumenti loco panis distributus, qui gradilis est, non de pistrinorum gradibus, vt Campiano placet, sed de suggesti cuiusdam gradibus tesseris distributis, quam rationem iam antea in congiariis populo dandis solennem fuisse docet nummus apud Spanhemium in Diss. IX. quem vide.

Ceterum perniciosissimam hanc frumenti largitionem, vtpote quae aerarium exhauriret et plebem ad desidiam vocaret iam antiquis displicuisse constat praesertim ex Sallustii (de ordinanda rep.) ad Caesarem praecepto: "prouideas oportet, vt plebs largitionibus et publico frumento corrupta habeat negotia sua, quibus a malo publico detineatur; et ex Suetonio *m*), qui Augustum aliquoties de largitione frumentaria in perpetuum abolenda cogitasse tradit, quod earum fiducia cultura agrorum cessaret, neque tamen perseuerasse.

§. 31.
De caritate annonae atque penuria.

Maximam etsi commeatus atque annonae curam Romani adhiberent, interdum tamen aut anni sterilitate aut hominum auaritia vel nauibus frumentum portantibus tempestate aut a piratis retentis, annonae difficultas existere debuit. Quam primam caussam posui, ei quidem sub Caesaribus demum diligentius est occursum, qui plurium annorum canonem conderent, posteriori autem a piratis deriuatae classibus frumentariis institutis fuit prouisum. Restat, vt de caritate annonae hominum auaritia extorta paucis agamus. Quod igitur ad negotiatores frumentarios pertinet, eos quidem ob annonam compressam ab Aedilibus pecunia damnatos saepe apud Liuium *n*) aliosque legimus. Sub Imperatoribus eorum, qui annonam vexabant, audaciam compescebat Praefectus annonae. "Ab eo Dardanariorum doli puniti omniumque reliquorum, qui in fraudem annonae vexandae flagellandaeque i. e. in horreis et granariis continendae societatem coiissent; quorum consilio autem annonae carior euasisset, ex eorum bonis vel aureos XX. multaticios Praef. annonae exegit vel negotiatione eos interdixit vel ad praefectum Vrbi remisit, a quo interdum sunt relegati, humiliores autem ad opus publicum dati *o*).

In magna autem annonae penuria nec facili remedio Praefectus annonae iam sub republica extra ordinem creatus est, partim quod omnino praecipuam curam aliis negotiis non distractam res postulabat, partim quia magistratus, quibus alias annonae cura mandata erat, frumento, quod per remotas interdum prouincias conquirendum erat, comparando vacare non poterant,

m) In vit Aug. c. 42.
n) Liv. 38, 35.
o) D. 47. tit. 11. l. 6.

rant, nisi reliquis negotiis omnino neglectis atque omissis. Itaque V. C. 313. *p*) fame coorta "L. Minucius Praefectus annonae creatus est, qui multas circa finitimos populos legationes terra marique misit," "tum omnes profiteri coegit frumentum et vendere quod vsu menstruo superesset, seruitia parte diurni cibi fraudauit frumentariosque apud populum criminatus est." Nobilissimum vero praefectus annonae exemplum celebratur Pompeius, quem Romani fame vexati annonae omnis prouisorem elegere V. C. 696, additis viginti Senatorii ordinis viris, quos ille per prouincias partitus ipse nationes vndique percurrens vrbem frumento ceterisque ad victum necessariis vsque ad a V. C. 701. instruxit *q*).

§. 32. *

De magistratibus, penes quos cura annonae fuit, ordinariis.

Stante republica statim inde post reges exactos summa annonae cura apud Senatum *r*) fuit, qui illam magistratibus tradidit. Primum Consules videmus prouidisse *s*) postea Aedilibus pl. ea cura imposita, quod, quo anno primum sit factum, non liquet, a quibus sequenti tempore ad Curules rediit *t*). Itaque in Romanarum gentium denariis annonae cura modo spicis a lateribus sellae curulis modo frumenti modio cum duabus spicis significatur *u*). Aedilibus propter commeatus inuectos statuas cum titulis honorum in Capitolio et Palatio positas Plinius memoriae prodidit *x*). Eos autem non aduehendi solum, verum etiam custodiendi et distribuendi curam gessisse, ex pluribus locis infra allatis apparet. Legibus Tribunorum frumentariis ad Curatores annonae cura fuit translata, v. g. post legem Terentiam V. C. 687. Praetor de maiestate publici frumenti curam gessit et lege Clodia V. C. 696. Sexto Clodio, quidquid vnquam frumenti esset, traditum est. Postea V. C. 708. Aediles duo Cereales, vt frumenti curam gererent, a Iulio Caesare constituti *y*). V. C. autem 732. Augustus annonae procurationem suscipere coactus iussit, vt quotannis Duumuiri, qui ante quinquennium Praeturam gessissent, frumento distribuendo constituerentur *z*). Quadriennio autem interiecto instituit, vt IVyiri ex iis qui ante triennium praeturam gessissent, sorte electi frumento diuiduendo vacarent *a*). Postea *Praefectum Annonae* constituit, et quem olim sub republica in maximis annonae angustiis praeter ordinem creatum

p) Liuius IV. 12.

q) Cic. ad Attic. IV. Ep. I. Dio 39. 23. Appian. Bell. Civ. II. c. 18.

r) Liv. 2, 9.

s) Liv. 2, 34.

t) Liv. 10, 11. 23, 41. vbi Manlius Sardiniam domitam nunciat patribus, frumentum Aedilibus, captiuos Praetori tradit. 30, 26. 31, 4. et 50.

u) Spanheim de Vsu &c. Diss. 6.

x) Plin. H. N. 18, 3.

y) Freinshem. Supplem. in loc. Liv. 120, 16. D. I. tit. 2. de Or. I. l. 2. §. 32.

z) Dio 54. 1. qui morem illum sex creandi Aediles, duos patricios et quatuor plebeios ad sua vsque tempora duresse auctor est. L. 43.

a) Dio 54. 17. Sueton. in Aug. 37.

creatum paulo ante vidimus, eum ordinarium fecit atque perpetuum. Is quanquam Praefectum Vrbi vt maiorem magistratum reuereri debuit, praefecturam tamen annonae inter primas dignitates fuisse ex Tacito *b*) satis intelligitur. Perdurauit autem annonae praefectus vsque ad extrema imperii tempora, quin immo ad sextum P. C. N. seculum mansisse ex Cassiodori Epistolis apparet *c*). Neque tamen Aediles, Praefecto annonae instituto, ab omni cura annonae remoti. Papinianus enim, qui Septimi Seueri et Antonini aetate vixit, de *Aedili condemnato ob arctiorem annonam praebitam* in Digg. *d*) egit. Quid de hoc statuemus? Aut illo tempore praefecti annonae non erant, aut habebant tantum curam aduehendi et condendi frumenti, Aediles vero (cereales putant) populo diuidundi, etsi hoc Dioni, qui L. LIV. Praefectum annonae *προς την του σιτου διανομην* creatum scribit, repugnet. De *curatoribus annonae*, qui in lapidibus saepe occurrunt, eorumque officio accuratius definiendo si sermo incidit, non video, quomodo me recte expediam. Quodsi eos vno eodemque tempore cum Praefecto annonae Aedilibusque Cerealibus in republica fuisse statuas, quid officium illis tribuam, nescio, nisi eos in prouinciis frumentariis frumento ibi colligendo praefuisse quis arbitretur. Alias autem, si Praefectum annonae per interualla non creatum aliunde sciremus, eius locum Curatores annonae aliquando tenere potuissent.

Ceterum in magistratuum Rom. qui annonae curam gesserunt, recensu non omittendus est *Comes portus* Ostiae, ab Imp. Claudio ibi primum constitutus. Ad Minuciae autem officia in lapidibus *Praefectus*, *Consularis*, *Procurator*, *Curator*, *Quaestor* et *Rationalis* referuntur, de quibus tamen, nisi coniecturis indulgeas, nihil constat.

§. 32. **

De annona salaria.

Rebus ad vitam humanam, vt nunc iam est instituta etiamque Romanis fuit, praecipue necessariis sal quoque adnumerandum est seu annona salaria. Hanc quidem Romani primum acceperunt ex salinis ab Anco Marcio circa Ostiam factis *e*), quae sine dubio nihil aliud fuerunt, nisi fossae ad littus, quibus aqua salsa immissa Solis ardore fuit exsiccata. Inde via Salaria, (quam inde sic appellatam fuisse, quia per eam Sabini Sal a mari deferebant, Festus auctor est) aut in Tiberi sales Romam aduecti, in promptuariis seu receptaculis, quae in regione Vrbis XI. ad portam Trigeminam seriori aeuo fuisse constat, repositi sunt. Sub republica Salinae publicae a mancipibus erant conductae, quorum sine auctoritate sales emere atque vendere nefas erat

b) Tacit. Annal. I. 7. ad ann. VC. 767.

c) Epist. VI. in formula Praefecti annonae.

d) Digg. 16. tit. 2. l. 17.

e) Liv. I. 33. cf. VII. 19.

erat A. V. C. 247. inter alia blandimenta plebis "ſalis quoque vendendi arbitrium ademtum priuatis" Liuius memorat *f*) vnde ſalis monopolium priuatis antea permiſſum fuiſſe, colligere licet. V. C. 551. M. Liuius Cenſor Salinatoris nomen inde traxit, quod nouum ex annona ſalaria vectigal conſtituiſſet. "*Sextantis enim pretio Romae*, pluris in foris atque conciliabulis et alio alibi pretio *praebendum locauerunt g*)." Sub Imperatoribus ſalis publici commercium eſſe non poterat ſine principis auctoritate, neque tamen ſalem ex publico datum inuenio, niſi quem Agrippa Aedilis populo diſtribuit.

§. 33.
De cura lignorum.

Lignorum copia noſtra quidem aetate praecipuam politiae curam poſtulat, apud Romanos haec res tanti momenti non fuit. Lignorum inopiam Romae fuiſſe nusquam legimus, neque vnquam ſub Imperatoribus, vt alia pleraque ad vitam ſuſtentandam neceſſaria, ligna diſtributa. Occurrit quidem Forum Lignariorum Romae, vbi ligna in Tiberi aduecta depoſita erant, ſed haec ad aedificandum potius parata fuiſſe putarim, quam ad vulgarem cremandi vſum. Neque Romanis cremialium arborum tanta copia opus erat primum propter coeli clementiam, deinde quia, exceptis balneis atque thermis, opera illa, quae omnium maxime ligna conſumunt, nondum exiſterent, v. c. hyalurgia, cinerum clauellatorum officinae &c. fornaces autem calcariae longe erant ab Vrbe remotae.

Tantum de ſecuritate vitae.

CAP. I. SECT. II.
De Securitate honoris.

§. 34.
De infamia arcenda.

Securitas honoris is eſt hominis liberi ſtatus, eaque conditio, vbi de aliorum iniuriis, quibus honor violatur atque affligitur, nihil ipſi metuendum eſt. Haec autem ſecuritas praecipue interpellatur ac turbatur, ſi conuiciis temere aut ore aut litteris iactatis inuehi in aliquem licet. Itaque legibus ac poenis ſtatutis huic malo obuiam itum a Romanis primum quidem XII. Tabb. lege, quae ita fere ſe habuit: Si quis publice aliquem diffamauerit eique conuicium fecerit, vel carmen famoſum condiderit ad alterius iniuriam

f) Liv. II. 9. *g*) Liv. XXIX. 37.

iniuriam ſeu infamiam, fuſte ferito *h*). Inde hunc in modum Horatius Epp. L. II. 1. v. 152:

— — — — lex
Poenaque lata, malo quae nollet carmine quenquam
Deſcribi. Vertere modum, *formidine fuſtis*
Ad benedicendum delectandumque redacti.

Fuſtuarium igitur ſupplicium ab auctore carminis famoſi ex lege XII. Tabb. ſumtum, quod et Porphyrius, Horatii interpres teſtatur. Poſtea tamen cum illa poena nimis eſſe ſeuera viſa eſſet, formula legis ita conſtituta eſt, vt a Trebatio quodam apud Horatium Sat. L. II. 1. pronunciatur. Trebatius autem poetam Venuſinum admonens, ne in poſterum Satira ſua quenquam laceſſat, ita verba fecit verſ. 80.

— tamen vt monitus caueas (ne forte negoti
Incutiat tibi quid ſanctarum inſcitia legum)
Si mala condiderit in quem quis carmina, ius eſt
Iudiciumque,

id eſt, iniuriarum agere poterat is qui laeſus eſſet. Naeuius Comicus a Triumviris capitalibus in vincula coniectus eſt quia more veteris Comoediae Graecorum iniuriis nobiles laceſſiuit, praecipue Metellos *i*) Poſtea carcere liberatus cum nihilominus laceſſere optimates pergeret, factione nobilium Roma eſt expulſus *k*). Pari modo Auguſtus "cenſuit cognoſcendum poſthac de iis, qui libellos aut carmina ad infamiam cuiuspiam ſub alieno ederent" *l*) commotus, vt Tacitus addit *m*) "Caſſii Seueri libidine, qua viros foeminasque illuſtres ſcriptis procacibus diffamauerat." Verum iam antea lex Cornelia de iniuriis ita ſtatuerat: Si quis librum ad infamiam alterius pertinentem ſcripſerit, compoſuerit, ediderit, doloue malo fecerit, quo quid eorum fieret, etiam ſi alterius nomine ediderit vel ſine nomine, vti de ea re agere liceret: ſi condemnatus ſit, qui id fecit, inteſtabilis eſto *n*). Eadem poena ex SCto tenebatur is, qui ἐπιγράμματα, i. e. inſcriptiones aliudue quid ſine ſcriptura in notam aliquorum produxiſſet, item qui emendum vendendumque curauiſſet. Et ei, qui indicaſſet, ſiue liber ſiue ſeruus eſſet, pro modo ſubſtantiae accuſatae perſonae, aeſtimatione iudicis pretium conſtitutum Vlpianus auctor eſt. Idem Praetoris ſeruauit Edictum: Qui aduerſus bonos mores conuicium cui feciſſe, cuiusue opera factum eſſe dicetur, quo

aduerſus

h) Oratione antiqua ſic verba feruntur: Si qui pipulo centaſit, carmenue condiſit quod infamiam faxit, flagitiomue alteri fuſte ferito. Auguſtinus de Ciuit. Dei. II. 9. et 12. ex Cic. de Rep. IV. Cic. Tuſc. IV. 2. Carmen ne liceret fieri in alterius iniuriam XII. Tabb. lege ſanxerunt.

i) Gellius N. A. VI. 8.

k) Hieronym. in Euſeb. Chronic. cf. Cic. in Bruto. 15.

l) Sueton. in Aug. c. 55.

m) Annal. I. 72.

n) D. 47. tit. 10. de iniuriis et famoſ. libellis, l. 5. §. 9 - 11.

aduerſus bonos mores conuicium fieret: in eum iudicium dabo *o*). In eos auctores, qui famoſos libellos in contumeliam alterius propoſuerint, extra ordinem vsque ad relegationem inſulae vindicatum eſſe, de ſuo tempore Paulus teſtatur *p*). Poenam vero non capitalem in capitalem commutauerunt Valentinianus et Valens Impp. P. N. C. 365. quorum Edictum his verbis conceptum traditur *q*): Si quis famoſum libellum ſiue domi ſiue in publico vel quocunque loco ignarus repererit, aut corrumpat priusquam alter inueniat aut nulli confiteatur inuentum. Si vero non ſtatim easdem chartulas vel corruperit vel igni conſumſerit, ſed vim earum manifeſtauerit, ſciat ſe quaſi auctorem huiusmodi delicti capitali ſententiae ſubiugandum. Ceterum libellos famoſos, ſi reperti eſſent, in vrbe ab Aedilibus combuſtos fuiſſe Dio memoriae prodidit *r*). Theatralem vero populi laſciuiam ſaepe maximam fuiſſe conſtat; cuius quidem rei luculentum exemplum Tacitus ſuppeditat *s*).

Non plane a re alienum videtur, hoc loco verbo monere, quae ad honoris ſecuritatem ſpectantia ex Horatii lectione mihi annotaui, quorum primum illud eſt; quod ex Sat. I, 3. v. 133. ſq. intelligimus:

— Vellunt tibi barbam
Laſciui pueri: quos tu niſi fuſte coerces,
Vrgeris turba circum te ſtante, miſerque
Rumperis et latras, magnorum maxime regum.

et L. II. Sat. 3. v. 51 ſq. — — hoc te
Credo modo inſanum, nihilo vt ſapientior ille,
Qui te deridet, *caudam trahat.* —

Solebant nempe pueri appendices praetereuntibus clam affigere deinde vero ex alia parte occurrentes ſuos homines et ipſi deridere, et deridendos aliis tradere. Quid ex vtroque exemplo ſequitur? Hoc puto, aut politiam Romanorum in hac quidem parte parum diligentem aut certe puerorum petulantiam fuiſſe diſſolutiſſimam.

CAP. I. SECT. III.

De ſecuritate bonorum.

§. 35.

Securitatem bonorum eam eſſe ciuium conditionem eumque ſtatum arbitror, in quo, ne de bonorum iactura timendum ſit, quantum fieri

poteſt,

o) Ibid. l. 15. §. 2.
p) Sentent. V. tit. 4. §. 16.
q) Cod. IX. tit. 36. de famoſis libellis.
r) Dio. 56. 27.
s) Ann. XI. 13.

poteſt, publice proſpicitur. Verum enim vero non omnia, quae ad illam ſecuritatem vllo modo facere poſſunt, ad politiam vrbis, noſtrumque conſilium pertinent. Alias enim omne ius circa meum et tuum hic eſſet exponendum, ſed de iis tantum rebus hoc loco agendum, vnde bonis omnium vel plurimorum ciuium ſaepius atque potiſſimum damni periculum inſtat, cui publice neceſſe eſt vt prouideatur. Verſabitur itaque diſputatio noſtra circa haec potiſſimum capita:

I. De furtis manifeſtis.

II. De fraudibus quorumdam hominum, quibus plurimos damno afficiunt.

III. De caſibus fortuitis, qui ab elementis inſtant, ſeu de inundationibus atque incendiis.

§. 36.

De furtis.

Furta et latrociuia niſi legibus earumque poenis, aliisque inſtitutis publice coerceantur, in vrbe praecipue tanta, quanta maximam illius quod curamus temporis partem Roma fuit, bonorum ſecuritas ſtare ac conſeruari nullo modo poteſt, cum in quacunque ciuitate homines ſemper inueniantur, qui faciliori negotio aliorum bona ſurripere, quam opera et labore victum parare malint. Itaque vt illi malo occurrerent, iam Decemuiri (obliuionis enim caligine oppreſſa iacent, quae antea fuerint) in XII. Tabb. has fere leges de furtis propoſuerunt:

Si noctu furtum fiat, furem autem aliquis occiderit, impune eſto. Si interdiu furtum aliquis fecerit, eumque aliquis in furto deprehenderit: verberetur, illique, cui furtum factum fuerit, addicatur *t*). Seruus prius caeſus ſaxo Tarpeio deiiciatur. Impubes Praetoris arbitrio verberetur; noxaque ab eo facta ſarciatur. Quodſi ſe telo defendant, dominus cum clamore prius id teſtificetur, tum ſi occiſi fuerint, ſine fraude eſto i. e. iure occiſi ſunto. Si furtum per lancem et licium conceptum erit, perinde ac ſi manifeſtum foret, vindicatur *u*). De furto paciſci ius eſto; et ſi pactum interceſſerit, furti amplius agere ius non eſto. Furtiuae rei aeterna auctoritas eſto.

Innumera in Iure Romano furti occurrunt genera prudentiumque de iis reſponſa, quorum enumeratio hoc loco alieniſſima eſſet *x*). Furti actio-

t) Gellius XI. 18. ſedes earum leg. claſſica.

u) In hiſce Gellii verbis illuſtrandis Critici aeque ac Interpretes valde laborarunt, inque varias admodum et diſcrepantes opiniones diſceſſerunt. Abſurdas Alexandri Neapolit., Oldendorpii aliorumque referens perſtringit Merula de Legg. R. c. 16. Vera legis ſententia ex Feſto eſt deriuanda: "Lance, inquit, et licio dicebatur apud antiquos; qui furtum ibat quaerere in domum alienam licio cinctus intrabat propter matrumfamilias aut virginum praeſentiam." Videtur ex his patere, furtum per lancem et licium non committi ſed perquiri et concipi ab eo cui furto res aliqua ablata eſt. Si is rem furtiuam comprehenderet, furtum illud comprehenſum pro manifeſto vindicari ſanxerunt.

x) Vid. D. 47. tit. 2. tit. 6. 8. 9. &c.

actionem habuit is, cuius interfuit, non fubripi et quidem ciuiliter primis temporibus, Vlpiani vero aetate criminaliter plerumque furti actum, quia, vt ipfe tradit, vifum eft, temeritatem agentium extraordinaria effe animadverfione coercendam. Ex eodem difcimus, expilatores, qui funt atrociores fures in opus publicum vel perpetuum vel temporarium, datos effe, honeftiores ordine ad tempus motos vel patriae fines excedere iuffos; effractores autem nocturnos fuftibus caefos et in metallum datos, diurnos vero poft fuftium caftigationem in opus perpetuum vel temporarium miffos *y*).

§. 37.

De furibus in Vrbe inueftigandis et conquirendis.

Primis temporibus furem conquirere eius erat cui fupreptum effet, poftea tamen, fecuritatis cura diligentiori habita, et magiftratus publice fures conquirebant. Forfan Triumuiris Capitalibus primo id officium datum; ifti enim omnino maleficiis in Vrbe coercendis creati laudantur. Ex Senecae aliquo loco *z*), vbi popinas, ganeas, tabernas et cauponas "loca Aedilem metuentia" vocat, dubito adhuc, an ex eo inde elici atque extundi poffit, Aediles furibus explorandis et conquirendis vacaffe, etfi certum eft, in iftis locis multos faepe fures, latrones praedonesque delitefcere. De Praefecto Vigilum veritati proximum eft, eum fures, effractores graffatoresque conquifiuiffe, animaduertiffe in illos, extra omne dubium. Ita enim, qui de eius officio fcripfit, Paulus tradit: Cognofcit Praefectus Vig. de incendiariis, effractoribus, furibus, raptatoribus, receptoribusque; nifi quae tam atrox perfona tamque famofa fit, vt praefecto Vrbi remittatur *a*). Nam de capitalibus caufis fua auctoritate ftatuere Praefectus Vig. non potuit. Eadem vsque ad fextum P. C. N. feculum ratio permanfit. Caffiodorus Var. Epp. VII, 7. Praefectum Vig. ita compellat: "Cuftos Romanae ciuitatis diceris, quando eam ab inteftino hofte defendis. Quapropter circa fures follicitus efto: quos fi tibi leges punire minime praecipiunt, tamen eos indagandi licentiam contulerunt." Mirum autem videtur, idem fere officium eodem tempore et Comiti Romae fuiffe iniunctum. Ad hunc enim eiusdem auctoris Epp. VII, 13. verba fic fefe habent: "Comitiuae Romae tibi concedimus dignitatem, vt fideli ftudio, magnoque nixu quaeras improbas manus, et infidiantes aut priuatorum fortunis aut moenibus ad tuum iudicium venire facias."

Furibus fpeciatim adiungere licet feruos fugitiuos, qui femetipfos vel pretium emtionis domino fubripiebant, et quorum, vt dominis reftituerentur, publice erat cura habenda. Quodfi latitarent ferui, praeconio illos indaga-

y) D. 47. tit. 18. l. 2. *z*) De Vit. beat. c. 7. *a*) D. I. tit. 15.

indagabant. Sic apud Petronium praeco ſtabulum intrans cum ſeruo publico haec proclamauit: "Puer in balneo paulo ante aberrauit, annorum circa XVI, criſpus, mollis, formoſus, nomine Gyton: Si quis eum reddere aut commonſtrare voluerit, accipiet nummos mille." Alter erat modus, vt haec proponerentur in tabula ad columnam adfixa, vt apparet ex Propert. Eleg. III, 21. Plura autem exſtiterunt et SCta et principum reſcripta, ne quis ſeruos fugitiuos protegeret; in eum autem, qui quaeri apud ſe prohibuit, poena ſtatuta. Stante republica Aedilium fuiſſe videtur fugitiuos conquirere, etſi etiam ad Triumuiros capitales, qui ad Columnam Maeniam ius dicebant, adducerentur, qui in taberna aut alibi eſſent deprehenſi. Poſtea ad Praefectum Vig. ſpectauit fugae cognitio, is loca, vbi latere poſſent fugitiui, viſitare dominisque ex officio ſeruos reſtituere tenebatur *b*). Quodſi ab eo qui deprehenſi aut ab aliis ad eum deducti, nec a dominis agniti eſſent, ipſius officio diſtrahebantur, et intra triennium a die venditionis agniti emtor pretium a fiſco recipere poterat, poſt triennium autem domino vindicantes emtor praeſcriptione ſummouebat.

§. 38.

De horreis, quibus pretioſa conderentur.

Horrea Romae non frumentaria ſolum et vinaria fuiſſe, verum et pretioſiſſimam fortunarum ſuarum partem in iis, vt tutiore loco eſſet, Romanos repoſuiſſe atque condidiſſe, ex iure Romano multis teſtimoniis probat Briſſonius *c*). Alexander autem Imperator "horrea in omnibus Vrbis regionibus publica fecit, ad quae conferrent bona ii, qui priuatas cuſtodias non haberent *d*)." Diſpoſiti ad haec horrea cuſtodes erant ſerui aut publici aut ex familia principum priuata, qui plerumque, ſi effracturae in illis fierent, puniebantur. Diuus Antoninus Erycio Claro reſcripſit: poſſe eum horreis effractis quaeſtionem habere de ſeruis cuſtodibus, etſi in illis ipſius Imperatoris portio eſſet *e*). Praeter horrea aliquando etiam templum Pacis a Veſpaſiano exſtructum pretioſis priuatorum cuſtodiendis inſeruiiſſe dicitur.

§. 39.

De tutela minorum.

Minorum, qui ſemetipſi tueri non poſſunt, quorum fragile eſt conſilium multorumque inſidiis bona expoſita, eorum quidem cura publice eſt ſuſcipienda, tutoresque publice dandi. Tutela autem ſeu poteſtas in capite libero ad defendendum eum, qui per aetatem ſe defendere non poteſt, Romanis erat triplex. Primum enim *tutela teſtamentaria* XII. Tabb. legibus erat conſtituta, ſecundo erat *legitima agnatorum et patronorum*, tertio *tutela*

datiua

b) D. I. tit. 15. l. 4.

c) Antiqq. Select. IV. 18.

d) Lamprid. in eius Vita. c. 39.

e) D. I. tit. 15.

datiua circa V. C. 567. lege Atilia introducta: vt mulieribus et pupillis tutores non habentibus a Praetore et maiore parte Tribunorum pl. darentur. Postea Claudius Imperator sanxit, "vt Consules pupillis vtriusque sexus tutores darent *f*)," quod ab Antonino Philosopho iterum sublatum Capitolinus testatur, ab eoque Praetorem tutelarum institutum. Quod autem ad pericula spectat, quae a prauis tutoribus pupillis instant, tot quidem cautionibus legumque praesidiis a Romanis prouisum est, vt difficile illis esset, perfidiae suae poenas effugere. De quibus enim non mediocris suspicio vel a muliere, seruo, tutore itidem ob suspicionem remoto, ad magistratum delata esset, eos a tutela ablegandos maiores iusserant et perpetua improbitatis nota inurendos *g*). Sub republica quidem Praetor de illis ius dicebat, sub Imperatoribus autem tutores atque curatores, qui male in tutela vel curatela versati grauiore animaduersione indigerent, quam vt sufficeret eis suspectorum infamia, quos probari posset vel nummis datis tutelam occupasse vel euidenti fraude pupilli bona alienasse, ad Praefectum Vrbi sunt remissi *h*).

§. 40.

De cura ponderum et mensurarum.

Neque ponderum ac mensurarum cura publica, ne ex eorum iniquitate damnum emtoribus gigneretur, a Romanis neglecta. Itaque ad Iouis Capitolini amphora sacrata, pedis Italici modulus in Monetae, et pondera in templo Martis Vltoris sunt custodita, ad quae omnium ceterorum fides exigeretur. De ponderibus autem atque mensuris cognoscere, harum iusto minores frangere, istorum iniquis vtentes multare, Aedilium tanquam Αγοραvoμων s. foro Praefectorum, munus erat atque officium *i*). Id vero non in foris solum venalibus, sed etiam in cauponis atque tabernis, vbi merces quoque prostabant, exercuisse videntur. Huc enim proprie spectare Senecae locum (§. 37. iam excitatum) de locis Aedilem metuentibus arbitror. Certe de his rebus ex Edicto Aedilitio multo plura nossemus, si quidem ea pars, qua de istis cautum esse debuit, aeuum tulisset. Traianus Edictum proposuit, quo poenam legis Corneliae de falsis, i. e. deportationem et omnium bonorum publicationem, in eos statuit, qui adulterinas stateras vsurpassent, atque etiam Hadrianus eum, qui falsas mensuras habuisset, in insulam relegauit *k*). Aedilium potestate Constantini M. tempore sublata Praefecti Vrbi pondera in emtionibus venditionibusque vsitata inspexerunt, vnde et eorum nomine insignita occurrunt *l*).

§. 41.

f) Teste Sueton. in Claud. c. 23.
g) D. 26. tit. 11.
h) D. I. tit. 12. l. 1. §. 7.
i) Dig. 19. tit. 2. l. 13. §. 8.
k) D. 47. tit. 11. l. 6. §. 1 & 2.
l) Ammian. Marcellinus. L. 27. c. 29

§. 41.

De alea.

Cum in ludis, qui in pecuniam exercentur, multis collusorum fraudibus exponantur imprudentes aliaque inde mala in rempublicam inuadant, istis etiam Romani occurrendum putarunt. Inprimis autem aleam legibus vetitam accepimus, et quidem, nisi, probare quid ad Romanorum mores pertinens ex Plauto velle, periculosius esset, iam eius tempore legem de alea latam fuisse contenderem. Ita enim in Milite glorioso Act. I. Sc. 3. Periplectomenes praecipiens introducitur:

— vt ne *legi* fraudem faciam *talarias*
Accuratote, vt sine talis domi agitent conuiuium.

Certius autem aleam legibus prohibitam docet Ouid. Trist. II. Eleg. ad Aug.

Sunt aliis scriptae, quibus alea luditur, artes,
Hoc est ad vestros non leue crimen auos.

Adde Horatium Carm. III. 24. *vetita legibus alea.*

Leges autem de alea latae perhibentur Titia, Publicia, Cornelia, firmatae non Praetoris solum Edicto, verum et SCto, quo etiam sponsionem facere et in pecuniam ludere omnino vetitum, praeterquam si quis certet hasta, vel pilo iaciendo vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, quod virtutis caussa fieri permissum erat *m*). De poenis, quibus isto crimine conuicti afficerentur, inter auctores non conuenit. Certe maiorem aleae quam vel furti poenam esse Romani voluerunt *n*). In Digg. Edictum Praetoris ita se habet: "Si quis eum, apud quem alea lusum esse dicetur, verberauerit, damnumue ei dederit, siue quid eo tempore dolo eius subtractum erit, iudicium non dabo: in eum qui aleae ludendae caussa vim intulerit, vti quaeque res erit, animaduertam;" ad quae Vlpianus: clausulam hanc pertinere, ait, ad animaduersionem eius, qui compulit ludere, vt aut multa multetur, aut in lautumias vel in publica vincula ducatur *o*). Apud antiquos in Saturnalibus alea permissa, quo allusit Suetonius in Aug. c. 71. Aedilium autem fuisse in aleatores inquirere Martialis docet Epigr. XIV. I. et V. 126. cuius loci vt classici verba apponere liceat:

Blando male proditus fritillo
Arcana modo raptus e popina
Aedilem metuit vdus aleator,
Saturnalia transiere tota.

§. 42.

m) D. XI. tit. 5. de aleatoribus.

n) Asconius in Diuinat; "Alii dicunt, quadruplatores esse reorum accusatores, qui *quadrupli damnari solent, vt aleae.*"

o) D. l. cit.

§. 42.

De re foenebri et de nummulariis.

Bonorum securitas etiam foeneratorum pessimis fraudibus maxime saepe affligitur; itaque ne ciues istorum auaritiae necessitate coacti obnoxii relinquerentur, legibus prouideri publice interfuit. Itaque iam XII. Tabb. lex promulgata; ne quis vnciario foenore amplius exerceret *p*); si quis aliter faxit, quadruplionem poena luito. Lex Duillia Maenia, V.C. 369. a M. Duillio, L. Maenio Trib. pl. perlata, nihil aliud, nisi XII. Tabb. legis fuit repetitio, duodecim vero annis interiectis, "T. Manlio Torquato, C. Plautio Coss., semiunciarium tantum ex vnciario foenus factum et in pensiones aequas triennii, ita vt quarta praesens esset, solutio aeris alieni dispensata est." *q*) V.C. 411. L. Genucius Trib. pleb. legem tulit: ne foenerare liceret. Liv. VII, 42. V.C. 427. a C. Poetelio Libone et Papirio Mugillano Coss lata est lex Papiria Poetelia: "ne quis nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret in compedibus aut neruo teneretur: *pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset: et ne quis in posterum necteretur.*" *r*) Postea lex Iulia de cessione bonorum lata memoratur: at qui sine dolo suo malo aeri alieno satisfacere non posset, bonis suis cedendo liberaretur, et V.C. 800. P.C.N. 49. C. Claudius Caesar "lege lata saeuitiam creditorum coercuit: ne in mortem parentum pecunias filiis familiarum foenori darent" *s*)

Quae quidem leges in Vrbe vt obseruarentur (alias enim, quae ad prouincias spectant, hic non curamus) quo tempore quaeuis rata fuit, ea cura apud Aediles fuit, inprimis vero Curules. Saepe igitur ab his dies foeneratoribus dictus eorumque bona multata feruntur *t*).

Nummularii et argentarii Romae homines erant, apud quos opulentiores pecuniam suam deponebant, aut vt aliis foenori darent, aut creditoribus exsoluerent. Istis quidem hominibus de pecunia sibi tradita, ex tabulis accepti et expensi rationes erant reddendae, et tum pro industria lucrum non leue illis accedebat. Iidem nummos vendebant, i.e. pro nummis permutatis aliquid lucri accipiebant, collybi nomine, quem etiam aspraturam dixerunt. De his autem negotiis plures exstitisse leges certum est, quae securitati bonorum prospicientes de fraudibus illorum hominum, ne foro illi maxima cum ciuium iactura fugerent, cauerent. Certe earum legum cura Praefecto Vrbi ab Imperatoribus mandata fuit. Inde de illius officio Vlpianus praecipit: "Praeterea curare debet Praefectus Vrbi vt nummularii

p) Tacitus Annal. VI. 16.
q) Liv. VII. 27.
r) Liv. VIII. 28.
s) Tacit. Ann. XI. 13.
t) Liv. VII. 28. X. 23. XXXV. 41.

mularii probe ſe agant circa omne negotium ſuum et temperent his, quae ſunt prohibita." *u*)

§. 43.

De magicis artibus.

Cum in populo philoſophiae ſtudiis nondum ſatis exculto ſuperſtitionibus plurimi ducantur, neque homines deficere, quibus quaeſtui ſint capti ſuperſtitione animi, omnium temporum docent annales. Nunquam vero illud hominum genus frequentius Romae exſtitit, quam ſub Imperatoribus primis P.C.N. ſeculis. Tum Mathematicorum Chaldaeorumque greges ciues fraudare atque circumuenire, falſaque ſpe vel vano metu hominum animos implere. Inde multis quidem legibus huic malo remedium quaeſitum, verum fruſtra plerumque latas Tacitus queritur, ita de mathematicis verba faciens: "genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, *quod in ciuitate noſtra et vetabitur ſemper et retinebitur.*" *x*) Aedilium erat, cauere, ne libri noxii circumferrentur, neue homines ſtupidiores ab illo impoſtorum genere deciperentur. V.C. 720. M. Agrippa, Aedilis curulis edicto Aedilitio aſtrologos et praeſtigiatores vrbe eiecit *y*). V.C. 769. P.C.N. 18. "facta de Mathematicis Magisque Italia pellendis SCta, quorum e numero L. Pituanius ſaxo deiectus eſt, in P. Marcium Conſules extra portam Esquilinam, cum claſſicum canere iuſſiſſent, more priſco aduertere," *z*) verum deprecantibus ac ſe artem deſituros promittentibus Tiberius veniam dedit *a*). Patellus ICtus, qui P.N.C. circiter 230. vixit, de ſuo tempore ita teſtatus eſt: "Magicae artis conſcios ſummo ſupplicio affici placuit, id eſt, beſtiis obiici aut cruci ſuffigi, ipſi autem magi viui exuruntur. Libros magicae artis apud ſe neminem habere licet, et ſi penes quoscunque reperti ſunt, bonis ademtis ambuſtisque his publice in inſulam deportantur, humiliores capite puniuntur." *b*)

De cura incendiorum.

§. 44.

Progredior nunc iam ad eam politiae Vrbis partem, quae de periculis cauet, quae ab incendiis exortis ciuium bonis maxima inſtant, et in quibus arcendis et propulſandis laudem aliquando Romani meruerunt non contemnendam. Quare in hac quidem parte aliquanto accuratius adumbranda etſi copioſior videar, ipſum tamen conſilium non improbandum arbitror. Omnis autem incendiorum cura cum duabus partibus conſtet:

I. ne

u) D. I. tit. 12. l. 1. §. 9.

x) Tacit. Hiſt. I. c. 22.

y) Dio 49. c. 43. τους Αστρολογους και τους γοητας εκ της πολεως εξηλασεν.

z) Tacit. Ann. II. c. 32.

a) Sueton. in Tiber. c. 36.

b) Paulus Sent. V. tit. 23. §. 11 et 12.

I. ne incendia exoriantur,

II. ne oborta latius spargantur,

inde et nostra disputatio in duas potissimum partes dispescitur, hoc tamen discrimine, vt in primam partem omnes colligam leges, quibus ab incendiis Romae vel omnino prouisum est, ne orirentur, vel etiam ne latius spargerentur, altera vero parte de institutis ac magistratibus tradam, qui incendiis arcendis tam sub republica libera, quam sub Imperatoribus praeessent.

§. 45.

De incendiis, cur olim tam frequentia Romae?

Veterem Vrbem frequentibus obnoxiam fuisse incendiis, nemo quidem est, qui non vel ex puerili doctrina in memoriam reuocet *c*). Quod cum multis mirabile visum sit, non plane alienum a proposito esse arbitror, caussas praecipuas hoc loco commemorare, quibus incendiorum Romae frequentia mihi quidem videatur tribuenda. Quod ad quinque prima Vrbis saecula pertinet, incendiorum praecipuam caussam in eo positam fuisse liquet, quod Varro de LL. lib. IV. memoriae prodit, prisci aeui Romanorum casas luto ac stipula tectas atque fartas, immo vsque Pyrrhi regis tempora, id est, vsque ad a V. C. 470. *scandulis ligneis tectas* fuisse, quod ex Cornelio Nepote Plinius memorat *d*).

Aliam incendiorum caussam fuisse puto Romanorum rationem, quam in domorum partibus et cubiculis calefaciendis secuti sunt. Nempe, vt Philander ad Vitruuium *e*) monet, "in subterranea structura fornix erat oblongus, et ex eo quaqua versum in intimis parietibus de industria relicti structiles ad summam contignationem canales *f*) qui nares haberent ad loca omnia, in quae vellent procurare calorem exemtilibus operculis." Nimis autem angusti erant illi tubi seu canales, quin breui temporis spatio fuligine repleti, praesertim si lignei essent parietes, incendiorum numerum augerent. Deinde vero vt omnibus domorum partibus calor sufficeret, maximos et perpetuos ignes in subterraneis illis fornicibus nutrire oportuit, quorum indomita vis, nisi a seruis vigilantissime custodirentur, non potuit, quin plurima incendia excitaret.

Ab hac altera frequentium incendiorum caussa, nescio an diuersa fuerit alia, nempe vitium quoddam in domibus exstruendis commissum, quod Nero tandem edicto prohibuit, de quo postea videbimus.

c) Adiicere tantum liceat Iuuenalis locum notabilem. Sat. III. 5 sq.
— Quid tam miserum, tam solum vidimus, vt non
Deterius credas, horrere incendia, lapsus
Tectorum assiduos ac mille pericula saeuae
Vrbis?

d) Plin. H. N. XVI. 10.

e) Vitruv. VII. 3.

f) Seneca Ep. 90. eorum rationem luculenter explicat.

Cur autem incendia Romae oborta tam lata plerumque ſint vagata, eius quidem rei (praeter illam primam a tectis ſtramineis ſcandularumque vſu deriuatam vt caſus improuiſos, v.g. ventorum procellas, aut quod intempeſtiua nocte incendium vel eo tempore ortum eſſet, cum ciues aut omnes aut plurimi militiae cauſa abeſſent ſenibus et mulieribus cum impuberibus duntaxat relictis) has praecipuas cauſas fuiſſe arbitror.

Prima fuit viarum in vrbe anguſtiae atque flexurae, quibus fiebat, vt non ſolum aedificia proxima facilius atque celerius flamma corriperentur, ſed et hominum acceſſus ad exſtinguendum concurrentium, eorumque operae impedirentur *g*).

Altera cauſa fuit aedificiorum altitudo, ad quam coercendam leges latas, ſupra (vbi de ruinis egimus,) vidimus. Inde Seneca Pater *h*): "tanta, inquit, altitudo aedificiorum eſt, tantae viarum anguſtiae, vt neque aduerſus ignem praeſidium, neque a ruinis vllum in vllam partem effugium ſit."

Tertiam laudo artis exſtinguendi primis certe temporibus imperitiam et ſubſidia atque inſtrumenta nondum parata.

Quarta denique fuiſſe videtur infelix illa hominum ſuperſtitio, ex qua nihil mali, nullam calamitatem adeoque et nullum incendium niſi ab ira Deorum immitti putabant; qua opinione animis mortalium impletis, aut omnino malo non reſiſtere auderent, ne denuo Deos ad iram laceſſerent, aut primo nuncio incendii accepto, metu ſtatim perculſi atque attoniti ſuarumque rerum trepidi ad auxilium ferendum vix ſatis idonei eſſent.

§. 46.

De legibus, quibus incendiis Romae obuiam itum.

Quae ab hominum fraude aut negligentia incendia oriuntur, iis quidem iam XII. tabularum lege prouiſum: Qui aedes aceruumue frumenti ad aedes poſitum dolo ſciens incenſit, vinctus verberatus igni necator. Si vero caſu, id eſt, negligentia, aut damnum datum ſarcito, aut ſi minus idoneus ſit, leuius caſtigator *i*). Haec quidem lex repetita in lege Cornelia de ſicariis, qua tenebantur etiam ii, qui data opera in eorum, quos odiſſent, res atque bona incendium immiſiſſent, aut quorum dolo incendium factum eſſet *k*). Semper autem incendiarii ſummo ſupplicio ſunt affecti, Vlpiani tempore ſi humiliore loco eſſent, beſtiis obiecti, ſi in aliquo gradu incendium feciſſent, capite puniti aut certe in inſulam relegati. Si fortuito incendium factum eſſet, venia data, niſi tam lata culpa fuiſſet, vt luxuriae aut dolo proxima eſſet *l*). Quodſi per incuriam ignis euaſiſſet, duplici compendio damnum eiusmodi ſarciri placuit *m*). Ceterum ſi humana fraude incendium

g) Tacit. Ann. XV. 38.
h) Controuerſ. IX. 2.
i) D. 47. tit. 9. l. 9.
k) D. 48. tit. 8. l. 1. et 10.
l) D. 47. tit. 9. l. 11 et 12.
m) Paulus Sent. V. tit. 3. §. 6.

cendium exortum esse videretur, praemia pro concione edicta iis, qui, quorum opera incendium conflatum esset, profiterentur *n*).

Alia XII. Tabb. lex his verbis erat concepta: ne quis in vrbe vrito (scil. cadauer) et rogum ne propius aedes alienas inuito domino adiicito; qua lege incendii periculo, quod a rogis in vrbe incensis aedificiis imminuit, occursum esse, nemo non videt.

Tertia, quae ad incendia spectans ex XII. Tabb. legibus memoratur, ea quidem lex ita se habet: Ambitus parietis sextertius pes esto: id est, inter vicinorum aedificia ad circumeundi facultatem spatium vacuum duorum pedum et semis relinquitor. Quam diu haec lex valuit, omnes Romanorum domus insulae fuerunt, et inde innumeri angiportus. Ciuium vero numero laetis postea incrementis adaucto, aedificia propius sibi inuicem collocari coepta, immo communione parietum exstrui. Antiquam vero aedificandi rationem reuocauit Nero, edixitque, "ne communione parietum, sed propriis quaeque muris ambirentur." Nam post grauissimum illud incendium, quod ab ipso nomen tulit, nouum aedificandi modum proscripsit, insulis et non ita contiguis domibus exstructis, vt continuae ignis violentiae campus et veluti vacuum coelum occurreret *o*). Antoninus et Verus A. A. rescripserunt: Legitimum spatium a vicina insula esse intermittendum *p*). Ab horreis autem publicis priuatorum aedes C. pedibus, a ceteris vero aedificiis XV. spatio remoueri Constantino primum placuit. Theodosio satis visum etiam ab horreis publ. priuatorum aedificia XV. pedum interuallo disiungi.

V. C. 818. p. C. N. 67. Edictum a Nerone propositum: "Vt aedificia certa sui parte, sine trabibus, saxo Gabino Albanoue solidarentur," quod is lapis igni est imperuius *q*). — Alterum Neronis edictum non minus memoria dignum: vt custodes *r*) et subsidia in propatulo quisque haberet," quam legem tertio saeculo P. C. N. adhuc durasse liquet ex Paulo, (D. I. tit. 15. l. 3. §. 4) cuius tempore vnusquisque inquilinus aquam in coenaculo habere tenebatur.

Huc spectant etiam Edicta de modo aedificiorum, quorum altitudo plurimum facit ad incendia latius spargenda, verum illa Edicta vid. supra (17.).

Pauli tempore neque muri, neque portae habitari sine permissu principis propter fortuita incendia poterant *s*).

n) Liuius 26. 27.

o) Tacit. Annal. XV. 40 et 43.

p) D. 8. tit. 2. l. 14. quem locum male intellexisse videtur V. Cl. Nitsch in Beschreibung des Zustandes der Römer. Th. II. p. 895. *intermittendum* enim pro *omittendum* accepit. Verum spatium intermittere Romani dixerunt pro: in medio relinquere cf. exempla, quae Scheller collegit sub voce intermittere.

q) Tacit. Ann. XV. 43.

r) Adler in Beschreib. v. Rom. p. 73. nos hosce custodes castellariorum publicos ministros fecit. Forsan in errorem deductus est Lipsii et I. F. Gronovii auctoritate, qui castellarios publicos sub illis custodibus intelligendos esse putarunt. Vide ipsos ad Tacit. Ann. XV. 43.

s) D. 43. tit. 6. l. 3.

§. 47.

De magiſtratibus, qui ſtante republica incendiis reſtinguendis praeeſſent.

Quod ad alteram curae incendiorum partem attinet, ſcilicet vt aliquando oborta protinus reſtinguantur, primum de magiſtratibus, quibus illa cura mandata, poſtea de ipſorum miniſtris, denique de Romanorum ad incendia arcenda ſubſidiis atque inſtrumentis videbimus.

Inſtituta priſcorum Romanorum ad incendia arcenda vt in omnium rerum initiis aut nullius aut parui ſaltem momenti fuerunt, cum etiam in paruis neque contiguis domibus etſi propter ſtraminea ignibus magis obnoxiis, periculum tamen minus ab incendiis immineret; qualia autem fuerint, Annales omnino tacent. Et cum in omni antiquitate inueſtiganda atque deſcribenda nihil magis cauendum ſit, quam ne prioribus ſaeculis ea tribuas, quae ad ſerius tantummodo aeuum ſpectant, ego quidem in illis nubibus, quae antiquiora tempora obtegunt, detergendis fruſtra haud morabor, ſed ea tantum quae firmiori hiſtoriarum fundamento niti videntur, hic loci adferam.

Primis ab vrbe condita ſeculis reges et priores Conſules, cum totius reipublicae curam gererent, et hanc politiae partem curaſſe, neceſſe eſt. Poſtea ad Aediles ea cura translata, vnde ad nouum magiſtratum rediit, Triumuiros nocturnos puto, quorum tamen origo, quam alte ſit repetenda, neſcio, quomodo definiam. Antiquiſſimus, quem hactenus Triumuirum a veteribus commemoratum reperire licuit, Cn. Flauius eſt, qui V. C. 450. A. C. N. 304. Aedilis curulis fuit," *triumuiratibus* antea geſtis, *nocturno* altero, altero coloniae deducendae *t*). Triumuirorum autem muneri id incubuiſſe vt oborta incendia, ne latius peruagarentur, curarent, luculenter apparet ex eo, quod a Valerio Maximo *u*) relatum eſt, "M. Muluium, Cn. Lollium et L. Sextilium Triumuiros, quod ad exſtinguendum ſacra via incendium tardius venerant, a Tribuno plebis die dicta ad populum eſſe damnatos." Vigilias in vrbe circumeundo Triumuiros ab incendiis nocturnis caviſſe, ex eodem Valerio diſcimus *x*). Dubium autem forſan videatur, vtrum Vigiles in vrbe certis locis fuerint diſpoſiti, qui ne officio deeſſent, Triumviri proſpicere debuerint, (quod Galli vocant *viſite des ſentinelles*), an omnino tantum de circuitione per Vrbem cum ſeruis publicis, ſeu de excubiis exploratoriis (patrouille) Valerii verba ſint accipienda. Verum hac altera ſententia vt perſiſtamus, Liuius admonet, qui Triumuiris capitalibus mandatum eſſe tradit, vt vigilias per vrbem diſponerent, quo mandato certe opus non fuiſ-ſet,

t) Liv. 9. 46.

u) Lib. VIII. c. 1.

x) Ibidem P. Villium Triumuirum nocturnum, *quod vigilias negligentius circumierat*, a populo damnatum memoriae prodidit.

ſet, ſi iam antea vigiliae per Vrbem fuiſſent diſpoſitae *y*). Neque deſunt auctores, qui Triumuiros nocturnos eosdem fuiſſe cum Triumuiris capitalibus putent, hos autem nouo epitheto tum demum auctos, cum excubias agere, i. e. noctu etiam vigilare inciperent, quod et mihi pluribus ex cauſis non improbabile videtur *z*). Triumuiris iamiam conſtitutis etiam Aediles atque Tribunos plebis nonnunquam incendiis exſtinguendis interueniſſe Paulus auctor eſt *a*).

Poſtea "quia magiſtratibus veſpertinis temporibus in publicum eſſe inconueniens eſſet, *Quinqueuiros cis et vls Tiberim* conſtitutos, qui poſſent pro magiſtratibus fungi," Pomponius litteris mandauit *b*). Verum enimuero cum hic altero demum P. C. N. ſeculo vixerit, vbi iam hiſtoriae antiquae ſtudium valde imminutum erat, facile mihi perſuaderem Vviros illos perpetuum magiſtratum non fuiſſe, ſed in maximo illo, quod V. C 568. A. C. N. 186. Romae a Bacchanalibus periculum imminuit, extra ordinem tantum fuiſſe conſtitutos *c*), niſi idem Pomponius in ſequentibus adieciſſet: "Ciſtiberes illos poſtea Aediles SCto fuiſſe creatos." *d*) Etſi enim hic locus vel ipſius auctoris, vel eius culpa, qui illum excerpſit, obſcura breuitate laboret, tamen ſi contextum rite conſulas, nonniſi de magiſtratu, qui per aliquod temporis ſpatium continuo ſit creatus, intelligi poteſt.

§. 48.

De magiſtratibus, qui incendiis arcendis ſub Impp. praeerant.

Auguſtus, quem omnem politiae adminiſtrationem mutaſſe iam ſupra monitum eſt, V. C. 732. Aedilibus curulibus incendia exſtinguenda mandavit *e*). Verum enimuero V. C. 759. P. C. N. 9. pluribus incendiis ſimul excitatis cum Aediles oneri non ſufficerent, ſeptem cohortes opportunis locis conſtituit *f*), praepoſitis eis Tribunis et ſuper omnes Praefecto Vigilum. Huius quidem officium quatenus ad incendia ſpectauit, potiſſimum in his verſabatur: vt totam noctem vigilaret, calceatusque coerraret cum inſtrumentis ad incendia reſtinguenda neceſſariis, admoneret omnes inquilinos, ne aliqua negligentia incendii caſus oriretur et vt aquam vnusquisque in coenaculo haberet, fuſtibus caſtigaret eos, qui negligentius ignes habuiſſent, aut ſi alias ſemper diligentes fuiſſe probentur, certe ſeuera interlocutione comminaretur; de incendiariis cognoſceret, eos autem, qui dolo feciſſe incen-

y) Liv. 39. 14.

z) Cf. loc. eund. in fin. capitis, vbi adiutores Vviros Triumuiris datos eſſe narratur et Hamberger Diſſ. I. de incendiis in Opuſc. p. 14.

a) D. I. tit. 15. l. 1.

b) De Orig. Iur. L. II. §. 31.

c) Liv. loc. laud.

d) Van Bynkershoek locum corruptum eſſe putat et ita reſtituendum: tamen hi, quos Ciſtiberes diximus, poſtea vt Aediles, SCto creabantur.

e) Dio L. 53. p. 513. et 54. c. 2. p. 522. τοις δ᾽ Αγορανομοις τοις κυρουλιοις την των εμπρησομενων κατασβεσιν ενεχειρισε.

f) Dio 55. 26.

incendium conuincerentur ad Praefectum vrbi remitterent, de capitalibus enim causis sua auctoritate nihil statuere potuit *g*). Praefectus Vigilum vsque ad extrema imperii occidentalis tempora, immo sexto P.C.N. seculo adhuc durauit *h*). Plures aliquando fuisse creatos ex Theodosii et Arcadii rescripto videri potest: Praefecti vigilum huius vrbis nihil de capitalibus causis sua auctoritate statuere debent, sed si quid huiusmodi euenerit, Culmini tuae potestatis referre *i*). Vigilum autem subpraefectum aliquando fuisse, lapis apud Gruterum docet Inscr. LXXIII, n. 4.

§. 49.

De familia publica et cohortibus Vigilum.

Ad exsequenda officia magistratibus addita primum familia publica seu serui publici, quorum opera ad incendia arcenda vterentur. Romanis enim mos fuit, vt ex gente captiua plerumque seruos quosdam respublica sibi eligeret atque seponeret, ad varios quidem vsus, in his etiam ad incendia arcenda. Erat autem familia publica circa portam et muros disposita, vnde, si opus esset, euocaretur. Ceterum eiusmodi seruis annua quaedam respublica praestabat ad victum et vestem. De numero eorum sub republica nihil constat; Augustus autem, cum Aedilibus curulibus incendiorum exstinctionem iniungeret, sexcentos ipsis tradidit seruos (ἑξακοσιους βοηθους δουλους) quorum opera vterentur *k*). Verum enim vero praeter hosce incendiorum exstinctores publice constitutos, fuerunt et familiae priuatae, quae incendia vel mercede vel gratia exstinguerent. Celebratum hoc nomine Egnatium Rufum, "magnamque in aedilitate exstinguendis priuata familia incendiis populi gratiam collegisse" Paterculus memoriae prodidit *l*). Serui autem, qui in defendendis ab incendio aedificiis, praesertim sacris strenue se gesserant, in publicum redemti sunt atque remissi *m*).

De cohortibus Vigilum.

V.C. 759. P.C.N. 9. septem cohortes vigilum ab Augusto constitutos iam antea vidimus, Appianus autem iam ad annum 718. V.C. illud factum esse refert. Dum enim Vrbs ipsa Siciliaque palam a latronibus infestaretur, Sabinum, ait, ad id corrigendum a Caesare (Octauiano) electum intra annum securam reddidisse pacem omnibus, και εξ εκεινου φασι παραμειναι το της στρατιας των νυκτοφυλακων εθος τε και ειδος: ex illoque tempore institutas aiunt militares nocturnorum vigilum cohortes, ea forma atque ratione, quae ad hunc diem obtinet *n*). Certe ex Dione notandum, Augustum nonnisi extra

g) Vid. omnino D I. tit. 15.
h) Cassiodor. Ep. VII. 7.
i) Cod. I. tit. 43. de officio Praef. Vig.
k) Dio 53. 24.
l) Velleius. II. 91.
m) Liv. 26. 27.
n) Bell. Civ. L. V. c. 32. T. II. p. 887. ed. Schweighäuser.

extra ordinem cohortes vigilum constituisse tanquam post exiguum temporis interuallum dissoluendas, postea tamen, reipsa expertum vtilissimum et maxime necessarium esse eorum auxilium, retinuisse *o*). Cohortes Vigilum ex libertinis militibus fuisse constitutas, inter omnes auctores conuenit *p*). Erant autem opportunis locis per vrbem ita dispositae vt vnaquaeque cohors binas vrbis regiones tueretur *q*), seu, vt ex XIV. cohortium Vigilum excubitoriis, quae a Publio Victore et auctore descriptionis Vrbis, Notitiae imperii annexae, laudantur, colligere licet, dimidia cohors ad defendendas singulas vrbis regiones parata esset. De numero Vigilum non satis constat, vulgo mille hominibus cohortem constitisse putant, ita vt Augusti tempore septem millia essent *r*). Quodsi vere ita se habuit, posteris certe temporibus, hominum, qui cohortem constituerent, numerum valde imminutum fuisse arbitror, cum Victoris tempore vniuersus cohortium numerus ad XXXVIII. assurgeret. Etsi Augustus ad nocturnos vigiles alendos nouum vectigal instituit, vt de pretio mancipiorum venditorum quinquagesima daretur *s*), tamen vrbana illa militia adeo grauis ac dura fuit, vt plerique omnes illam detrectarent. Ad eos alliciendos et continendos, Latinis, qui sex. annis in cohorte vigilum militassent, pro praemio Ius Quiritium lege Visellia propositum est, postea cum longius sexennii tempus existimaretur, etiam SCto ad triennium redactum *t*). Traiano quidem imperante, forsan et sub eius successoribus ad incendia ab Vrbe arcenda etiam fabrorum collegium paratum erat, ad cuius exemplum Plinius Secundus Nicomediae quoque fabrorum collegium constituendum Traiano commendat *u*), neque tamen persuadet; cuius collegii memoria saepius apud Gruterum in Inscriptionibus exstat *x*); sicuti et centonarii,

o) loc. cl. Dio 55. 26. επειδη πολλα της πολεως πυρι διεφθαρη, ανδρας τε εξελευθερους ἑπταχη προς τας επικουριας αυτης κατελεξατο και αρχοντα ἱππεα αυτοις προσεταξεν· ὡς και δι ολιγου σφας διαλυσων. ουμεντοι και εποιησε τουτο· καταμαθων γαρ εκ της πειρας και χρησιμωτατην, και αναγκαιοτατην την παρ αυτων βοηθειαν ουσαν ετηρησεν αυτους. και εισι και νυν οἱ νυκτοφυλακες ουτοι ιδιον τινα τροπον ουκ εκ των απελευθερων ετι μονον, αλλα και εκ των αλλων στρατευομενοι· και τειχη δε εν τη πολει εχουσι και μισθον εκ του δημοσιου φερουσι.

p) Dio 55. 26. vid. pag. anteced. Sueton. in Aug. 25. coll. c. 30.

q) D. L. cit. 15. §. 3.

r) Vir doctus, Nitsch in libro, quem semper in aliquo numero habendum esse arbitror, supra laudato, pag. 1061. de cohortibus vigilum ita refert: ab Augusto illas constitutas habuisse circa viginti millia hominum, qui passim per Italiam dispersi fuissent; in quo quidem humaniter errasse mihi videtur. Etenim apud Dionem, cuius quidem L. 55. laudauit, talem locum frustra quaesiui, neque apud alium historiae antiquae scriptorem eiusmodi quid offendi, excepto Appiano, ex cuius loco supra laudato fluere certe potuit Nitschiana sententia, si quidem pro *Sicilia*, quod nunc ibi legitur, *Italiam* substituas, quod mihi faciendum iam olim est visum.

s) Dio 55. 31.

t) De lege Visellia vid. Interpretes ad Vlpianum in Institut. tit. 3. §. 5. et Christ. Gothofredi Hoffmanni Historiam Iuris. T. I. p. 199.

u) Plin. Epist. X. 42.

x) Dispositis praediues hamis vigilare cohortem seruorum noctu Licinius iubet. 7. c. Inde Paulus et Vlpianus inquilinos potissimum et insularios a Praefecto Vigilum exhortandos esse tradunt. A locupletioribus enim non adeo erat timen-

incendium conuincerentur ad Praefectum vrbi remitterent, de capitalibus enim causis sua auctoritate nihil statuere potuit *g*). Praefectus Vigilum vsque ad extrema imperii occidentalis tempora, immo sexto P. C. N. seculo adhuc durauit *h*). Plures aliquando fuisse creatos ex Theodosii et Arcadii rescripto videri potest: Praefecti vigilum huius vrbis nihil de capitalibus causis sua auctoritate statuere debent, sed si quid huiusmodi euenerit, Culmini tuae potestatis referre *i*). Vigilum autem subpraefectum aliquando fuisse, lapis apud Gruterum docet Inscr. LXXIII, n. 4.

§. 49.

De familia publica et cohortibus Vigilum.

Ad exsequenda officia magistratibus addita primum familia publica seu serui publici, quorum opera ad incendia arcenda vterentur. Romanis enim mos fuit, vt ex gente captiua plerumque seruos quosdam respublica sibi eligeret atque seponeret, ad varios quidem vsus, in his etiam ad incendia arcenda. Erat autem familia publica circa portam et muros disposita, vnde, si opus esset, euocaretur. Ceterum eiusmodi seruis annua quaedam respublica praestabat ad victum et vestem. De numero eorum sub republica nihil constat; Augustus autem, cum Aedilibus curulibus incendiorum exstinctionem iniungeret, sexcentos ipsis tradidit seruos (ἑξακοσιους βοηθους δουλους) quorum opera vterentur *k*). Verum enim vero praeter hosce incendiorum exstinctores publice constitutos, fuerunt et familiae priuatae, quae incendia vel mercede vel gratia exstinguerent. Celebratum hoc nomine Egnatium Rufum, "magnamque in aedilitate exstinguendis priuata familia incendiis populi gratiam collegisse" Paterculus memoriae prodidit *l*). Serui autem, qui in defendendis ab incendio aedificiis, praesertim sacris strenue se gesserant, in publicum redemti sunt atque remissi *m*).

De cohortibus Vigilum.

V. C. 759. P. C. N. 9. septem cohortes vigilum ab Augusto constitutos iam antea vidimus, Appianus autem iam ad annum 718. V. C. illud factum esse refert. Dum enim Vrbs ipsa Siciliaque palam a latronibus infestaretur, Sabinum, ait, ad id corrigendum a Caesare (Octauiano) electum intra annum securam reddidisse pacem omnibus, και εξ εκεινου φασι παραμειναι το της στρατιας των νυκτοφυλακων εθος τε και ειδος: ex illoque tempore institutas aiunt militares nocturnorum vigilum cohortes, ea forma atque ratione, quae ad hunc diem obtinet *n*). Certe ex Dione notandum, Augustum nonnisi extra

g) Vid. omnino D I. tit. 15.
h) Cassiodor. Ep. VII. 7.
i) Cod. I. tit. 43. de officio Praef. Vig.
k) Dio 53. 24.
l) Velleius. II. 91.
m) Liv. 26. 27.
n) Bell. Civ. L. V. c. 32. T. II. p. 887. ed. Schweighäuser.

extra ordinem cohortes vigilum constituisse tanquam post exiguum temporis interuallum dissoluendas, postea tamen, reipsa expertum vtilissimum et maxime necessarium esse eorum auxilium, retinuisse *o*). Cohortes Vigilum ex libertinis militibus fuisse constitutas, inter omnes auctores conuenit *p*). Erant autem opportunis locis per vrbem ita dispositae vt vnaquaeque cohors binas vrbis regiones tueretur *q*), seu, vt ex XIV. cohortium Vigilum excubitoriis, quae a Publio Victore et auctore descriptionis Vrbis, Notitiae imperii annexae, laudantur, colligere licet, dimidia cohors ad defendendas singulas vrbis regiones parata esset. De numero Vigilum non satis constat, vulgo mille hominibus cohortem constitisse putant, ita vt Augusti tempore septem millia essent *r*). Quodsi vere ita se habuit, posteris certe temporibus, hominum, qui cohortem constituerent, numerum valde imminutum fuisse arbitror, cum Victoris tempore vniuersus cohortium numerus ad XXXVIII. assurgeret. Etsi Augustus ad nocturnos vigiles alendos nouum vectigal instituit, vt de pretio mancipiorum venditorum quinquagesima daretur *s*), tamen vrbana illa militia adeo grauis ac dura fuit, vt plerique omnes illam detrectarent. Ad eos alliciendos et continendos, Latinis, qui sex annis in cohorte vigilum militassent, pro praemio Ius Quiritium lege Visellia propositum est, postea cum longius sexennii tempus existimaretur, etiam SCto ad triennium redactum *t*). Traiano quidem imperante, forsan et sub eius successoribus ad incendia ab Vrbe arcenda etiam fabrorum collegium paratum erat, ad cuius exemplum Plinius Secundus Nicomediae quoque fabrorum collegium constituendum Traiano commendat *u*), neque tamen persuadet; cuius collegii memoria saepius apud Gruterum in Inscriptionibus exstat *x*); sicuti et centonarii,

o) loc. cl. Dio 55. 26. *επειδη πολλα της πολεως πυρι διεφθαρη, ανδρας τε εξελευθερους ἑπταχη προς τας επικουριας αυτης κατελεξατο και αρχοντα ἱππεα αυτοις προσεταξεν· ὡς και δι᾽ ολιγου σφας διαλυσων. ουμεντοι και εποιησε τουτο· καταμαθων γαρ εκ της πειρας και χρησιμωτατην, και αναγκαιοτατην την παρ᾽ αυτων βοηθειαν ουσαν ετηρησεν αυτους: και εισι και νυν οἱ νυκτοφυλακες ουτοι ιδιον τινα τροπον ουκ εκ των απελευθερων ετι μονον, αλλα και εκ των αλλων στρατευομενοι· και τειχη δε εν τη πολει εχουσι και μισθον εκ του δημοσιου φερουσι.*

p) Dio 55. 26. vid. pag. anteced. Sueton. in Aug. 25. coll. c. 30.

q) D. I. tit. 15. §. 3.

r) Vir doctus, Nitsch in libro, quem semper in aliquo numero habendum esse arbitror, supra laudato, pag. 1061. de cohortibus vigilum ita refert: ab Augusto illas constitutas habuisse circa viginti millia hominum, qui passim per Italiam dispersi fuissent; in quo quidem humaniter errasse mihi videtur. Etenim apud Dionem, cuius quidem L. 55. laudauit, talem locum frustra quaesiui, neque apud alium historiae antiquae scriptorem eiusmodi quid offendi, excepto Appiano. ex cuius loco supra laudato fluere certe potuit Nitschiana sententia, si quidem pro *Sicilia*, quod nunc ibi legitur, *Italiam* substituas, quod mihi faciendum iam olim est visum.

s) Dio 55. 31.

t) De lege Visellia vid. Interpretes ad Vlpianum in Institut. tit. 3. §. 5. et Christ. Gothofredi Hoffmanni Historiam Iuris. T. I. p. 199.

u) Plin. Epist. X. 42.

x) Dispositis praediues hamis vigilare cohortem seruorum noctu Licinius iubet. 7. c. Inde Paulus et Vlpianus inquilinos potissimum et insularios a Praefecto Vigilum exhortandos esse tradunt. A locupletioribus enim non adeo erat timen-

tonarii, nec non ſcalariorum et dolabrariorum centurias ad incendia concurriſſe perhibentur. Interdum tamen et plebem ad ſubueniendum conuocatam quod omnino ante ſeruos publicos, triumuirosque nocturnos conſtitutos fieri neceſſe fuerat, Suetonius *y*) cum Dione *z*), nec non δορυφορους ſeu praetorianos milites ad opem incendium paſſis ferendam aliquando adhibitos eſſe, Dio ſolus auctor eſt *a*). Etiam priuatos opulentiores ad nocturnam cuſtodiam domeſticis ſeruorum officiis ex Neronis edicto (§. 46. laudato) vſos fuiſſe Iuvenalis docet. Sat. XIV. v. 305.

§. 50.

De ſubſidiis atque inſtrumentis incendiis coercendis.

Aquarum copia, quae ad extinguenda incendia plurimum valet, Romae, vt ad omnes alios vſus, ita et ad incendia per omnes vrbis regiones abundanter in publicum fluxit. Familias autem publicas, ad aquarum curam inſtitutas, opera quaeque vrgere oportuit "ad caſus ſubitos, vt ex quam plurimis regionibus, in quam neceſſitas incubuiſſet, conuerti poſſet praeſidium aquarum abundantius *b*)." Verum et aceti et quidem in priuatorum domibus parati ad incendia reſtinguenda frequentem vſum fuiſſe, ex Digeſtis diſcimus *c*). "Acetum enim ex omnibus humoribus creſcentem flammam violenter exſtinguit, dum per frigus ſuum calorem vincit elementi." *d*).

De inſtrumentis ad compeſcenda incendia.

Difficilis admodum, ſicuti omnium Veterum, quae ad alios vſus inſtrumenta parata fuerunt, ita et de incendii cauſa apud Romanos paratis diſquiſitio, qua vt me bene expediam, valde vereor. Vulgo quidem omnium, de quibus agitur, inſtrumentorum tanquam ſedem laudarunt Vlpiani locum in Dig. L. 33. tit. 7. l. 12. §. 18. qui mihi inde eſt tranſcribendus: "Acetum quoque (ſcilicet ad inſtrumentum domus pertinet) quod incendii exſtinguendi cauſa paratur; item centones, ſiphones, perticae quoque et formiones; et ſpongias et hamas et ſcopas contineri, plerique et Pegaſus aiunt." Verum enimuero non omnia, quae domus inſtrumenta eſſe prudentes hoc loco volunt, ad incendia poſſe referri, ex ſequentibus (§. 21. et 22) luce clarius eſt. Spongiarum aliquem vſum fuiſſe, intelligo e loco apud Cangium ſub voce *matricarii*: "matricarii, quos Scholiaſtes Iuſtiniani anteceſſoris Conſtit. 23, c. 88. interpretatur illos, quos videmus ad incendia currentes et *portantes ſpongias* cum ferramentis, per quae poſſint de pariete in parietem transire, et ita incendium exſtinguere." Iam quod ad

timendum, quippe quorum domus nocturna cuſtodia ſeruatae, et a quibus omnia incendii exſtinguendi inſtrumenta parata fuerunt.

y) Sueton in Vit. Claudii. c. 18.

z) Dio. 72. c. 24.

a) Idem. L. 57. c. 15.

b) Frontin. de aquaed. art. 118.

c) L 33. tit. 7. l. 12 §. 8 et tit. 9. l. 3. §. 5.

d) Macrob. Saturnal. VII. 6.

ad Siphones primum attinet Vlpiano laudatos, eos quidem incendiarios (Feuerſprützen) fuiſſe vix mihi perſuadeo, multoque videtur probabilius, fuiſſe ſubterraneos illos meatus aut canales plumbeos, quibus aqua ad vſum quotidianum ex aquaeductibus publicis in priuatorum domus deriuabatur. Vt contrarium probent, laudant etiam Iſidorum ita ſcribentem *e*): Siphones vaſa appellata, quae aquas ſufflando funderent, quibus aduerſus incendia *orientales* populi vtebantur." Verum, Dii boni, qui haec de Romanis probant occidentalibus! vt de eo taceam, ad quem prouocant, Iſidorum ſeptimo demum P. C. N. ſeculo floruiſſe. Ne autem ſiphonum vſum antiquis innotuiſſe, omnino negare videar, ſtatim Plinii locum excitabo, ex quo ſolo de ſiphonum vſu certi aliquid colligi poſſe videtur. Epiſt. L. X, 42. Imperatôrem certiorem facturus, quibus cauſis incendium Nicomediae tam late ſparſum fuerit, ita reſcripſit: "*nullus vsquam in publico ſipho*, nulla hama, nullum denique inſtrumentum ad incendia compeſcenda. Et haec quidem, vt iam praecepi, parabuntur." Quos autem in prouinciis tam ſedulo paratos legimus, eos quidem et Romae, vbi per incendiorum frequentiam quam maxime neceſſarii eſſent, ſiphones in vſu fuiſſe, nullus dubitabit.

De hamis, quas ad incendiaria inſtrumenta pertinuiſſe, pluribus auctorum teſtimoniis confirmatum eſt *f*), inter pleroſque dubitatur, vtrum fuerint vaſa ad incendium arcendum aqua replenda, an inſtrumenta, quibus aedificia diſturbarentur. Iſtam quidem vocabuli ſignificationem Iuuenalis locus, vbi de hamis diſpoſitis ſermo eſt, ſine dubio poſtulat eademque omnibus locis optime conuenit, modo ne audiendus videatur Briſſonius *g*), qui vaſa maiora fuiſſe hamas putat, "quae *aqua vel aceto plena* a vigilibus incendii exſtinguendi cauſa *circumferrentur*. Tantos enim labores et moleſtias Romanos ſuſcepiſſe, vix mihi perſuadeo, cum eum finem, quam ſolam in illis ſibi propoſitam habere potuiſſent, multo faciliore ratione aſſequi liceret, ſcilicet diſpoſitis in domibus aut ante domus vaſis aqua repletis; deinde etiam, cum tot lacus piſcinaeque in omnibus vrbis regionibus eſſet, ocius inde vigiles hamas ſuas aqua poterant replere.

Dolabrae autem, quarum in exſtinguendis incendiis vſus extra dubium poſitus eſt, fuerunt ſecures ad diruenda aedificia igni correpta, diſſoluendasque trabium compages, quo celerius et aedificium et ignis conciderent.

Centonibus, quos machinas fuiſſe ad reſtinguenda incendia paratas, ex Iulio Caeſare *h*) et Vegetio *i*) probare conantur, in bello tantum Romanos vſos eſſe, mihi perſuaſum eſt.

e) Iſiodor. Originum. l. vlt. c. 6.
f) Plin. loc. cit. Iuvenal Sat. 14. v. 305. D. I. tit. 15. l. 3. §. 3.
g) Antiqq. Select. L. II. c. 8.
h) De Bello civ. 2. 10.
i) De Re milit. IV. 15.

§. 51.

De mutuis ciuium aut singulorum aut totius alicuius societatis cautionibus, quibus damnum incendio acceptum possessori restituitur (Assecuranz, Brandcassen) apud antiquos nihil occurrit. Neque illud adeo mirum, cum iis quidem temporibus, vbi talia institui potuissent, illa non adeo necessaria essent. Sub Imperatoribus enim opulenti quidem damnum incendio factum facile sustinuerunt; pauperes habitabant in domibus mercede conductis neque incendio multa perdere poterant, media autem fortunae conditio sub Imperatoribus fere nulla fuit. Interdum tamen imperatores eos, qui incendio damnum tulissent, pecunia leuarunt, vt v. c. Tiberius, qui millies sestertium illis distribuisse a Dione traditur *k*), et Vespasianus, qui incendiorum damna multis suppleuit *l*).

§. 52.

De inundatione Tiberis.

Tiberim inferiores Vrbis fluminique proximas regiones saepissime incremento suo operuisse, parcis etiam Liuii lectoribus notissimum est. Verum enim vero cum inundationes adeo frequentes, iisque non singulas modo domus labefactatas, sed et aërem malis halitibus ex aqua stagnante fuisse corruptum, certum sit; nusquam tamen inuenire potui, sub republica molem aggeresque flumini esse obstructos, vel alio modo vnquam periculo obuiam itum. Cuius rei causa primis certe temporibus sine dubio in superstitione hominum posita fuit, qui Deorum iram, sicuti omnibus malis, ita et inundationibus, tanquam prodigio significari putabant *m*). Augustus autem "ad coercendas inundationes alueum Tiberis laxauit ac repurgauit, completam olim ruderibus et aedificiorum prolapsionibus coarctatum" *n*) et magistratum instituit, qui inundationibus prouideret, Curatorem aluei et Riparum Tiberis dictum, cuius saepissime in lapidibus mentio occurrit *o*), quique etiam Notitiae imperii, in quam Pancirollus est commentatus, tempore adhuc durauit. Quod igitur de quinque Senatoribus, fluminis coercendi causa Tiberii iussu semper sorte cooptandis ad A. V. C. 768. P. C. N. 18. Dio refert *p*), illud nonnisi Tiberii tempore obseruatum arbitror.

CAPVT II.

k) Dio 58. 26.
l) Sueton. in Vespas. c. 16.
m) Livius magnas Tiberis aquas inter prodigia refert. L. VII. 3. XXX. 38. XXXV. 9.
n) Sueton. in Aug. c. 30.
o) v. Grnterus 381. 3. 493. 1. 454. 5. 498. 5. 1028. 5. &c.
p) Dio 57. 4. πεντε αει βουλευτας κληρωτους επιμελεισθαι του ποταμου προσεταξεν, ινα μητε του θηρους ελλειπη μητε του χειμωνος πλεοναζη.

CAPVT II.

De Tranquillitate Vrbis.

§. 30.

Tranquillitas ea eſt ciuitatis conditio, ille vrbis ſtatus, vbi nihil eſt, quod respublica tam a ciuibus ſuis, quam a peregrinis metuat, ſeu vt aliis verbis idem exprimam, tranquillitas eſt ſecuritas publica, quae praecipue tollitur ſeditione ac tumultu. His igitur vt occurrat, atque medeatur, politiae eſt officium praecipuum. Primum igitur ſeditionum cauſae ſunt inueſtigandae et auertendae; quodſi hoc per naturam rerum humanarum fieri non poterit, quomodo ſedandi ſint tumultus, proſpiciendum. In duas igitur partes omnis noſtra de Vrbis tranquillitate tractatio diſpeſcitur, quarum prima de tranquillitate conſeruanda, altera de reſtituenda tradet. Pericula autem Tranquillitati Vrbis praecipue imminebant:

I. a ciuibus ſingulis potentioribus.
II. a penuria laborantibus.
III. a collegiis atque corporibus.
IV. a peregrinis in vrbe verſantibus.
V. ab improborum coniurationibus.

Quibus ſingulis quomodo a Romanis tam ſub republica, quam ſub Imperatoribus ſit prouiſum, ratio iam eſt reddenda.

§. 54.

De auertendo, quod a ciue potentiore tranquillitati inſtat, periculo.

Ne a ciuibus potentioribus tranquillitas vrbis interpellaretur primum Romani proſpexiſſe videntur legibus de modo agrorum latis. Et quidem poſt reges exactos ſeptem iugera cuique ſunt aſſignata "et pernicioſus intelligebatur ciuis, cui haec menſura non eſſet ſatis." *q*) V. C. 379. a C. Licinio Stolone Trib. pl. cum collega lex promulgata: "ne quis plus quingenta iugera agri poſſideret," cuius rogatio ſeptimo demum anno iuberi potuit *r*). Hac ſua lege paulo poſt Licinius ipſe auctor, decem millibus aeris damnatus *s*) et V. C. 458. "pleriſque dies dicta ab Aedilibus, quia plus quam quod lege finitum erat agri poſſiderent. Nec quisquam ferme eſt purgatus vinculumque ingens immodicae cupiditatis iniectum." *t*) Quod tamen non ita multo poſt effractum atque neglectum iacuit, donec C. Gracchus legem tulit: ne quis ex publico agro plus quam quingenta iugera poſſideret, verum haec lex perferri non potuit, et ab optimatibus auctor interfectus eſt.

 Alterum,

q) Plin. H. N. 18. 3.
r) Liv. VI. 35.
s) VII. 16.
t) Liv. 10. 13.

Alterum, quo Romani, ne a ciue potentiore tranquillitas turbari posset, prospicerent, inuidia fuit largitionibus mota et in largientes attentio. Itaque V. C. 268. cum Spurius Cassius Cos. lege agraria promulgata, agri hostibus ademti partem plebi diuideret, publicam Senatui curam fuisse Liuius memorat, ne Consul largitione periculosas libertati opes strueret, et vt alter Consul largitioni resisteret, auctorem fuisse. Postea cum idem Cassius iuberet, pro Siculo frumento pecuniam acceptam retribui populo, id haud secus quam praesentem regni mercedem plebs aspernata est, Cassius vbi primum magistratu abiit, damnatus atque necatus eiusque aedes publice dirutae *u*). Alterum Spurii Maelii exemplum proferre liceat; qui etiam largitiones frumenti facere instituit. Cum eius consilia ad Senatum essent relata, primores patrum vndique increparunt Consules quod eas largitiones passi essent fieri *x*). Nobilissimum autem Iul. Caesaris est exemplum, cuius conatibus vt obuiam iretur, SCtum illud in Catonis sententiam factum est. Largitione enim ex publico facta, Caesar suis largitionibus plebem sollicitando maiores opes consequi non poterat *y*).

Tanquam egregium Romanorum ad opes ciuium potentiorum diminuendas et quasi deriuandas institutum laudant et ludos, magistratuum sumtibus populo exhibendos. Per hos enim viri ditissimi redacti ad inopiam ac, dum vrbis magnificentiam muneribus suis aemularentur, ranae instar in apologo validius sese inflantis rupto iacuere corpore. Verum hoc ex nostrum temporum ratione in antiqua illa translatum est, et multum a veritate aberrant, qui veteres Romanos tale vnquam consilium fouisse, cum Viro Cl. de Sonnenfels sibi persuadent. Rectius forsan ad tranquillitatis curam trahi posset Augusti edictum, quo V. C. 732. vetuit, ne quis munus gladiatorium plurium quam centum et viginti gladiatorum exhiberet, scilicet, ne quis muneris praetextu multitudinem armatorum in vrbe compararet atque haberet.

Verum multo certius huc referri potest Claudii Imp. Edictum, quo milites domos Senatorias salutandi caussa ingredi etiam SCto prohibuit; metu scilicet conspirationis, hoc fecit, ne aliquod esset commercium aut occasio milites sollicitandi *z*).

§. 55. *

De periculo tranquillitati a pauperibus instanti, seu de premente annona et foenore.

Multa alia mala vincere natura dedit, famem vero nunquam superare, qua nihil periculosius tranquillitati publicae esse, omnis aeui historia et nostri etiam experientia docuit. Romana autem seriorum praesertim temporum historia plurima continet turbarum exempla propter annonae difficultatem a plebe

u) Liv. 2. 41.
x) Liv. IV. 13.
y) Plutarch in Catone.
z) Sueton. in Claudio. c. 25.

plebe excitatarum, vnde maxima laus haec datur Praefecto annonae, eius Praefecturam seditionibus caruisse. Summo igitur studio nitendum erat, vt penuriae, annonaeque difficultati occurreretur. Factum hoc primum est

I. Legibus agrariis, seu coloniis deductis quibus vrbana plebs exhauriretur; et hoc quidem erat Deorum muneribus sapienter vti, importunam plebem semper publicae exitiosam concordiae deportare in remotas terras, non alere in amplissima et copiosissima terrarum vrbe *a*). Atque id consilium secutus Caesar, cum frumentum accipientium numerum retraxisset, "ne noui coetus moueri quandoque possent," octoginta ciuium millia in transmarinas colonias distribuit *b*).

II. Legibus frumentariis et largitionibus de quibus capite primo satis dictum est. Quodsi maxima annonae cura prohiberi non posset, ne annonae difficultas interdum Romae exsisteret, non solum vt annonam subleuarent, sed metu potius, ne propter annonam arctiorem tumultus excitaretur, Imperatores maximam plebis turbam Roma expulerunt. Quo remedio ab Augusto primum inuento *c*) seriores principes saepius vsos fuisse colligo ex priuilegio quibusdam opificum collegiis dato: ne famis tempore vrbe expellerentur *d*).

Etiam foenebre malum vetus seditionum discordiarumque creberrima causa fuit, eoque cohibebatur multis legibus supra allatis. Neque tamen hisce legibus impetrari potuit, quo minus foeneratorum saeuitiam saepius plebs experiretur. Inde tot turbarum ob aes alienum Romae exempla. Inde V. C. 259. secessio plebis in montem sacrum facta *e*), aliae seditiones *f*) permultae, quibus vario modo, variisque legibus consuli oportuit. Insigne exemplum apud Liuium exstat, vbi postquam ad vndecimum interregem certatum esset, noui Consules rem foenebrem leuare aggressi, solutionem aeris alieni in publicam curam verterunt, quinque viris creatis quos mensarios a dispensatione pecuniae appellarunt *g*).

§. 56. **

De collegiis atque corporibus.

Cum iam antiquitus bene obseruatum sit, disciplinae tranquillitatisque curam facilius in aliquo populo haberi posse, si quidem in minores partes illud distribuatur, hactenus corpora atque collegia, (quae Innungen, Zünfte, Gilden nostrates appellant) egregia ad conseruandam in vrbe tranquillitatem instituta videri possunt. Verum ex altera parte eadem instituta tranquillitati quam maxime periculosa esse, et rerum natura hominumque indoles declarat,

a) Spanheim de Vsu Num. Diss. II. p. 108.
b) Sueton. in Caes. 41. Dio 38. 1 sq.
c) Sueton.
d) Vid. Gothofred. ad Cod. Theod. XIV. tit. 2. l. 2.
e) Liv. 2. 23.
f) Liv. 6. 31. et 35.
g) Idem. VII. 21.

clarat, et experientia omnium temporum, Germanoque superioris praesertim anni historia satis edocuit. Etiam Romae deprehensum est, collegia ista et opificum corpora *h*) magno cum reipublicae detrimento esse coniuncta. Vix enim vlla arte prohiberi poterat, quo minus illa in factiones et hetaerias abirent. Cum collegia ius suffragandi haberent in tribubus, eo iure nefarie abutebantur ciues seditiosi, qui saepe ad rostra euocabant artifices atque tabernas claudi iubebant, vnde tabernariorum concitatorem L. Sergium vocat Cicero *i*)." Frequenter etiam coetus hominum factiosorum sine publica auctoritate, malo publico fiebant, propter quod postea collegia SCto et pluribus legibus sunt sublata praeter pauca atque certa, quae vtilitas ciuitatis desiderasset, vt fabrorum et tinctorum *k*)." Primum autem de tollendis collegiis sub republica libera SCtum factum V. C. 685. ex eodem Asconio discimus. Collegia autem non ea solum, quae Senatus sustulisset, sed innumerabilia quaedam noua ex omni faece vrbis ac seruitio a Clodio concitata Cicero queritur *l*).

Republica mutata principibus nihil fuit antiquius, quam, quod prudentia ciuilis suadere ipsis debuit, vt collegia et sodalitates, ex quibus factiones seditionesque nasci oportuit, supprimerent. Itaque Caesar cuncta collegia, praeter antiquitus instituta, detraxit *m*). Augustus autem, cum plurimae factiones titulo collegii noui, ad nullius non facinoris societatem coirent, collegia praeter antiqua et legitima dissoluit *n*). Etiam Claudium denuo collegia ab Imp. Caio instituta dissoluisse Dio Caff. auctor est *o*). Traianum seuerissime hetaerias vetuisse, neque passum vnquam, vt noua collegia vel Romae vel in prouinciis instituerentur ex Plinio notum est *p*). Etiam Antoninus Pius et Philosophus nec non Seuerus collegiorum licentiam inhibuerunt. Quicunque eo tempore collegium illicitum vsurpabant, poena legis Iuliae de maiestate tenebantur *q*), quae olim erat aquae et ignis interdictio, postea vero

h) Numam opifices in certa collegia vel corpora primum descripsisse plures auctores testantur. vid. Plin. H. N. 34. 1. et 35. 12. et Plutarch. in Numa p. 71. "των δε αλλων αυτου πολιτευματων ἡ κατα τας τεχνας διανομη του πληθους θαυμαζεται. Nouem ab eodem recensentur collegia, Tibicinum, Aurificum, Fabrum, Tinctorum, Sutorum, Coriariorum, Aerariorum, Figulorum, quibus omnibus κοινωνιας και συνοδους attribuit. Varia autem sub regibus fertur fortuna. Etenim a Tullo Hostilio sublata, a Seruio autem Tullio restituta ac in vsum reuocata, Tarquinius superbus iterum sustulit, ne, vt Dionysius Halic. ait, arcana de conuellenda tyrannide inirentur consilia. Sed de his potius, nihil certi constare, liberaliter profiteamur. Certius illud est, collegia et corpora opificum XII. Tabb. lege esse stabilita, (vid. Caius l. vlt. D. de colleg. et corp.) et noua adiecta v. c. V. C. 259. Mercatorium collegium, quod Mercuriale dictum est, Liv. II. 21. et 27. et VC. 316. Collegium Capitolinum, vtrumque celeberrimum. Reliqua vid. in Heineccii Diss. de Orig. et Iure Colleg. §. 12.

i) Or. pro domo. 5. cf. 38.

k) Ascon. ad Cic. in Pison. c. 4.

l) Cic. in Pison. c. 4. et pro Sextio. 25. Dio. Caff. L. 38. 13.

m) Sueton. in Caes. c. 42.

n) Idem in Aug. vit. c. 32.

o) Dio 60. 6.

p) Epp. X. 97. et 42.

q) Vlpian in D. 47. tit. 22. de coll. et corpor. l. 2.

vero humiliores bestiis obiiciebantur vel vivi exurebantur, honestiores capite puniebantur *r*). Qui in illicitum collegium coiisse dicebantur, ex Seueri constitutione apud Praefectum Vrbi erant accusandi *s*). Illicita autem erant omnia collegia, nisi ex SCti auctoritate vel Caesaris rescripto coiissent *t*), vnde in lapidibus frequens illa inscriptio: QVIBVS. EX. SC. COIRE. LICET.

§. 56.

De periculis, quae a peregrinis tranquillitati imminebant.

Peregrinorum curam, ne aliquando tranquillitatem Vrbis interpellarent, iam antiquitus, magnam a Romanis habitam esse accepimus. V. C. 261. cum ad ludos magna Volscorum vis Romam conuenisset, Consules ab Attilio Tullo metu repleti, ne quid temere ab illis fieret, rem ad Senatum detulerunt, factumque SCtum, vt vrbem excederent Volsci; praeconesque dimissi, qui omnes eos proficisci ante noctem iuberent *u*). V. C. 628. a M. Iunio Penno Trib. pl. de peregrinis vrbe pellendis lex perlata est. Etenim ad seditiones minuendas pertinuit, turba alienorum hominum ciuitatem exonerari; quorum vt quisque improbissimus erat, ita turbulentae plebi gaudebat immisceri et hoc genus plus etiam quam ingenui ciues tumultuabatur. V. C. 689. Inter potentium discordias C. Papius Trib. pl. haud vano metu multitudinem ignotorum hominum suspectam habens, peregrinos, lege in id lata, vrbe submouit *x*). Verum haec omnia, peregrinorum sub republica *perpetuam curam* a Romanis esse habitam, probare non possunt. Hanc enim nonnisi seriorum imperatorum tempore deprehendimus, vbi Censuales seu Magistri census officiales singulis mensibus peregrinos, vndeue essent et quid agerent, inquirebant, otiosos autem in patriam remittebant *y*). Tum qui Romam discendi causa veniebant, ante omnia litteras praesidum suorum Magistro census ostendere tenebantur, quibus eorum oppida natales et merita exprimebantur, deinde profiteri debebant, quibus studiis operam essent daturi, porro officialibus census sua hospitia indicare et post annum aetatis XXI. Roma excedere iubebantur *z*). Edicto autem Valentiniani, Valentis et Gratiani P. C. N. 370. dato, praecipue consociationes, quas proximas esse criminibus Augusti iudicant, fugiendas esse, vtpote qui tumultus moueant, admonentur litterarum studiosi; quorum cura ceteroquin Praefecto Vrbi fuit imposita.

Etiam

r) Paullus Sent. V. tit. 29. l. 1.
s) Vlpian in D. I. tit. 12. l. 1. §. 14.
t) D. 47. tit. 22. l. 3. §. 1.
u) Liv. 2. 37.
x) Freinsheim in Supplem. Liv. CII. 17. Cic. de Offic. 3. 11. in Bruto. c. 28. Or. pro Corn. Balbo ad Attic. IV. 16. pro Archia. c. 5. Val. Max. III. 4.
y) Pancirollus in Comment. in notitiam Imperii, de officio Magistri census.
z) Cod. Theodos. tit. de studiis liberal. Vrbis Romae.

Etiam seruos, quanquam plurimi Romae nati erant, peregrinis adiungere licet, secundum Romanorum illud prouerbium: quot serui, tot hostes. Mirum quidem est, nullam in antiquitate Romana legem latam occurrere, qua ab eorum seditione caueretur; etsi Romanos antiquitus paucis seruis contentos, et post euersas denique Carthaginem atque Corinthum immensam illam seruorum turbam in vrbem introductam fuisse accepimus. Ceterum illud maxime dignum memoria, quod a Seneca refertur *a*): dictam esse aliquando in Senatu sententiam, vt seruos a liberis cultus distingueret; deinde apparuisse, quantum periculum immineret, si serui Romanos numerare coepissent. Sapienter itaque huic sententiae ab aliis intercessum, prouisumque est, ne serui vires suas agnoscerent et armis arreptis turbarent omnia miscerentque.

§. 57.

De religionibus peregrinis.

Cum omnes, qui in vrbe coetus fierent, obseruari publice debuerint: neque religiones peregrinae, quarum causa conuenirent, a politiae cura erant alienae. Fertur quidem iam Romuli lex: ne deos peregrinos colerent *b*); postea tamen peregrinos Deos ciuitate donarunt. Verum enim vero pro varia reipublicae ratione eadem sacra nunc permissa aut recepta, nunc iterum abrogata fuerunt. Quod Postumii de abolendis Bacchanalibus apud Liuium probat oratio: "Quoties hoc patrum auorumque aetate negotium est magistratibus datum, vt sacra externa fieri vetarent? sacrificulos vatesque foro, circo, vrbe prohiberent? vaticinos libros conquirerent comburerentque? omnem disciplinam sacrificandi praeterquam more Romano abolerent *c*)?" Vulgo quidem haec omnia ad metum coniurationum viri docti referunt et negari non potest, sacra externa saepe non religionis sed criminum causa, quae sub religionis praetextu vel specie committerentur, in vrbe fuisse prohibita. Ita sub republica V. C. 567. propter scelera, quae in illis perpetrabantur, Bacchanalia vetita atque excisa, celeberrimo in ea facto SCto *d*), et Marcianus, qui tertio P. C. N. saeculo floruit disertis verbis pronunciat: religionis causa coire non prohiberi, dum tamen hoc non fieret contra SCtum, quo illicita collegia arcerentur *e*). Nihilo minus alia exstat veterum auctoritas valde memorabilis. Liuius enim ac Cicero "confusionem religionum et eius, quam a maioribus accepissent, dissolutionem" tanquam veram

a) De Clementia. I. 24

b) Prouidisse enim videtur Manutio, vbi religiones diuersae sint, facile odium et ex odio seditiones existere; in quo nostram de religione, quatenus dogmata continet, notionem viri docti menti insedisse puto.

c) Cf. Liv. 4. 30. 25. 1. 38. 14. Valer. Max. L. I. c. 3. 1.

d) Fabretti Inscriptt. antiq. vid. Livius ex ed. Clerici. T. V. Bynkershoek in Opusc. p. 259.

e) D. 27. tit. 26. l. 1.

veram rationem significant, qua religiones peregrinae saepius Vrbe prohibitae fuerint *f*).

§. 58.

De coniurationibus in Vrbe tollendis atque detegendis.

Improborum hominum coniurationes, a quibus non solum, ne tranquillitas Vrbis turbetur, verum et ne respublica penitus euertatur, periculum est, cum vix fieri possint facultate in vnum coeundi atque de rerum nouarum consiliis exsequendis deliberandi occasione adempta, maximam inde Romani iam antiquitus curam adhibuerunt, ne coetus clandestini in vrbe existerent. Itaque iam Romulus *legem* tulisse fertur; *ne in templo nocturnae vigiliae haberentur*, optimo quidem, si ita se res habet, consilio, ne qua fieri coitio, neue quid iniri aduersus ipsum rempublicamue consilii, ne quid insidiarum tendi posset. Postea *lege XII. Tabb.* cautum esse legimus: *ne quis in vrbe coetus nocturnos agitaret g*); deinde *Lege Gabinia* promulgatum, *vt qui coitiones vllas clandestinas in Vrbe conflauisset more maiorum capitali supplicio multaretur h*). Postea coetus nocturni legibus de maiestate latis vindicati. Ita inter capita legis Iuliae maiestatis et hoc refertur: Praetor qui ex hac lege quaeret, de eo quaerito cuius opera dolo malo consilium initum erit, quo coetus et conuentus fiat. Verum cum omnibus legibus vix prohiberi possit, quo minus aliquando homines facinorosi contra remp. eiusque tranquillitatem conspirent, summa politiae eorumque, qui illam administrarent, in eo cura versari debuit, vt coniurationes quamprimum detegerent et quasi in incunabulis opprimerent. Qui cum attentione etiam diligentissima non omnia inuestigare atque deprehendere possent, delatorum auxilio erat vtendum iique publicis praemiorum exemplis excitandi. Itaque non mulieres solum, seruique deferentes dominos et liberti patronos auditi atque accepti, sed ne calumniatoribus quidem, certe sub Imperatoribus, vlla poena statuta. Contra vero, quae coniurationum indicibus proposita atque decreta sunt, multa praemiorum exstant exempla. Ita iam in prima illa coniuratione nobilium adolescentulorum de regibus reuocandis a seruo detecta praemium indici, pecunia ex aerario, libertas et ciuitas data *i*). Eodem modo V. C. 335 cum seruitia coniurassent, vt vrbem distantibus locis incenderent populoque ad opem passim tectis ferendam intento, arcem capitoliumque armati occuparent, duobus indicibus dena millia grauis aeris, quae tum diuitiae habebantur, ex aerario numerata et libertas praemium fuit *k*) Pari modo ne indicibus fraudi esset, curare et alios indices praemiis inuitare Senatus iussit *l*).

I 2 Sub

f) Liv. 39. 16. Cic. de LL. II. c. 25.
g) et *h*) Porcius Latro in Orat. in Catilin.
i) Liv. 2. 5.
k) Idem 4. 45.
l) 39. 14. et 19.

Sub Imperatoribus autem, quorum plurimum interesset, omnia, quae in ciuitate gererentur, statim cognoscere, perpetui Denunciatores constituti, et quatuordecim Vrbis regionum Curatoribus additi, vt in singulas horas diesque, quid in qualibet regione fieret ad Curatores deferrent, qui statim ad Praefectum vrbi rem denunciare tenebantur.

§. 59.

De legibus maiestatis.

Vt a seditionibus hominum animos auerterent, leges de maiestate Romani tulerunt, ex quibus in iudicium veniebant omnia, quibus populi Romani maiestas fuit imminuta, ideoque et seditiones *m*). Primam autem legem, qua vim in vrbe ac seditionem comperio vindicatam, V. C. 653. L. Appuleius Saturninus tulit, qua etiam perpetuam de maiestate quaestionem constitutam esse Sigonius putat. Postea V. C. 675. Lex Plotia a P. Plautio Tribuno pl., adiuuante Q. Lutatio Catulo Cos. perlata est, cuius capita haec praecipua fuisse videntur: Is, cuius haec quaestio erit, de eius capite quaerito, qui aduersus rempublicam coniurauerit, insidias senatui fecerit, Magistratibus vim intulerit aut seditionis causa loca superiora occupauerit. Hac quidem lege V. C. 691. Catilina ab Aemilio Paulo interrogatus est *n*). Lege Iulia de vi publica a C. Caesare Augusto perlata tenebatur et is, qui turbae seditionisue faciendae consilium iniisset seu cuius dolo malo consilium initum, quo seditio atque tumultus aduersus remp. fieret, seruosque aut liberos homines in armis habuisset *o*). Pauli tempore auctores seditionis et tumultus populo concitato pro qualitate dignitatis aut in furcam sublati, aut bestiis obiecti sunt, aut in insulam deportati *p*).

§. 60.

De cura tranquillitatis in magno seditionis metu et si factio in vrbe esset.

Post clades ab hoste acceptas magnum in vrbe periculum erat, ne ex luctu ciuium, aut ex odio imperatoris, qui male rem gesserat, seditio excitaretur *q*), aut ne peregrini in Vrbe versantes hostibus sese coniungerent. Itaque in omni tumultu ad cladis acceptae nuncium, vigiliae vicatim per Vrbem exactae: initio quidem metu hostium, ne Vrbem inuaderent, illud factum esse nullus negabo *r*), postea vero internae seditionis metu vigilias esse habitas extra omne dubium est. De Augusto disertis verbis Suetonius refert: "Post clades in Germania acceptas Lollianam et Varianam excubias per Vrbem indixit, ne quis tumultus exsisteret." *s*) Erant enim in vrbe Germani

m) Tacit. Ann. I. 72.
n) Sallust. in Catil. c. 32.
o) D 48. tit. 6. l. 1.
p) Paulus in D. 48. tit. 19. l. 38. §. 2. et Sent. V. tit. 22. l. 1.
q) Exemplum est Norbani seditio. vid. Cic. de Orat. II. Sect. 124.
r) Exempla vid. apud Liv. 3. 42. IC. 4.
s) Suet. in Aug. c. 23.

Germani Gallique milites non pauci, et ipse Augustus Germanorum manum inter armigeros habebat, quam vero post cladem Varianam dimisit *t*). Etiam coniuratione nunciata cum in timore ciuitas esset, vigiliae per vicos seruatae, iussique circumuire eas minores magistratus *u*). "Ita in famosa illa de Bacchanalibus quaestione Triumuiris capitalibus mandatum est, vt vigilias disponerent per vrbem, seruarentque, ne coetus nocturni fierent," *x*) Catilinae coniuratione fere detecta, Ciceroni et C. Antonio custodia vrbis et summa rerum mandata, a quibus cum multis in locis essent custodiae positae, res nouae in vrbe motae amplius non sunt *y*).

Quodsi factiones in vrbe essent, praecipua tranquillitatis cura est habita. V. C. 702. cum a furore plebis morte Clodii incensae omnia timenda essent *z*), tumultui vt resisteretur, Pompeius Consul sine collega factus, edictum proposuit: ne vllum in Vrbe telum esset *a*). Clodius enim magnam ex infima plebe turbam armatorum habuit, quibus illo edicto arma erant eripienda. Eodem anno cum iudicium de Milone habendum esset, ne illud a Clodianis disturbaretur, Equites se armatos sistere iussi, quibus circumstantibus gladiis eductis iudicium septum est. Huc spectat et illud quod post Caesaris mortem tumultu excitato Coss. edixerunt: ne quis arma ferret militibus exceptis, et in Senatu decretum est: vt armatis curia muniretur *b*).

Nusquam alibi populi licentia maior et effrenatior fuit, quam sub Imperatoribus, vbi in ludos intentus esset *c*), et saepe propter studia partium in circo atque theatro acerrimae oriebantur seditiones. Imperatores itaque et hoc officium Praefecto Vrbi iniunxerunt, vt popularium, id est agitatorum in circo quietem disciplinamque theatralem curaret *d*). Statio cohortis Praetorianae ludis assedit, vt theatralem cohiberet licentiam et si quid turbarum aut maioris tumultus ingrueret, praesto esset, cuius instituti apud auctores primam mentionem factam reperio ad A. V. C. 768. P. C. N. 18. *e*). Nero milites istos, quo maiore libertatis specie populus ludis interesset, dimouit V. C. 809. P. C. N. 58 postea vero cum motus illi iterum excitati essent, reducere milites coactus est *f*). Propter has turbas saepe histriones quorum causa diffidebatur, Roma atque Italia pulsi *g*). Seditiones in circo ac Theatris vsque ad imperii tempora et saepe a quietis turbatoribus summa supplicia sumta, quibus cum antea sontes prope ludum Circensem essent afflicti, Imppp.

 Gratia-

t) Ibid. c. 49.
u) Liv. 32. 26. V. C. 567.
x) Liv. 39. 14. cf. 16.
y) Dio 37. 31. Sallust. in Catilin. 31. Cic. in Catilinaria I. 1. II. 12 III. 12.
z) Dio 60. 4. Asconius in argum. orat. pro Milone.
a) Plin. H. N. 34.
b) Dio 45. 15. coll. 46. 26.
c) Tacit. Hist. I. 72.
d) D. I. tit. 12. l. 12.
e) Annal. I. 77.
f) Annal. 13. 24. et 25 princ.
g) Ibid. cf. et Annal. IV. 14. et Sueton. in Tiber. c. 37. Dio 57. c. 21. coll. 14.

Gratianus, Valentinianus et Theodosius id rescripto prohibuerunt, ne scilicet noua inde studio partium oriretur seditio *h*).

Neque illud a tranquillitatis cura videtur alienum, quod lege antiquissima et quae libera republica nunquam seruata non est, cautum erat, vt nemo praeter magistratus vrbanos in Vrbe esset cum imperio, et qui ob rem in bello bene gestam triumphum ducturi essent, vt ii ante triumphum Vrbem ne ingrederentur *i*). Triumphabant enim cum imperio, quod deponere vrbem intrantibus necesse erat. Populus autem imperium in Vrbe, quo die triumphus duceretur, lege curiata et quidem ei tantum dabat, a quo tranquillitati nihil esset timendum *k*). In templo autem Bellonae, quod extra Vrbem erat, triumphum ambientibus Senatus dabatur. Ibidem et legati et nuncii hostium auditi, quibus vt fraudium semper suspectis, ante Senatus decretum vrbem intrare non licuit.

Denique cum ex causis saepe quam maxime exiguis et nullius fere momenti maximas excitari tumultus ac turbas fieri constet, etiam illarum curam negligendam Romani non censuerunt. Itaque Aedilibus suis praecipuam eam curam iniunxerunt, ne iurgia et rixas in viis fieri permitterent. Quid enim facilius accidere potuit, quam vt concursu hominum ad rixantes facto, si altera pars, concurrentium auxilio freta, vim alteri inferret et hae aliorum auxilium quoque imploraret, omnia turbis caedibusque miscerentur?

§. 61.

Quibus modis repressae sint sub libera rep. seditiones?

Antiquissima seditionum in vrbe reprimendarum ratio a superstitionibus petita fuit. Quodsi patres sentirent plebem seditionibus studiosam, prodigia et ostenta iactarunt; tum libri per Duumuiros sacrorum aditi, ex his pericula Vrbi minantia praedicta et inter cetera monitum est, vt seditionibus abstinerent. Inprimis ad Tribunorum seditiones reprimendas obnunciatio ex lege Aelia et Fusia introducta; quas ideo "propugnacula murosque tranquillitatis atque otii" Cicero vocat easque V. C. 696. fatali portento prodigioque reipublicae a P. Clodio euersas queritur. Eadem de causa etiam Dictatorem saepe dixerunt. Inde in magno seditionis periculo Quintium Cincinnatum loquentem Liuius facit: "Dictatore opus esse reipublicae, vt qui se mouerit ad sollicitandum statum ciuitatis, sentiat sine prouocatione dictaturam esse." Aliud seditionis reprimendae remedium erat in colonias deductio, etsi leges agrariae, quibus illam fieri oportuit, nunquam sine maximis motibus rerum agitatae *l*). Ita iam V. C. 360. cum multiplex Romae seditio esset, eius lenien-

h) Campiani de Offic Mag. p. 180.
i) Plutarch in Pompeio, c. 92.
k) Liv. 45. 35. Dio 39. 63.
l) Liv. 2. 41.

leniendae causa coloniam in Volscos deductam Liuius memoriae prodidit *m*). Decennio interiecto cum coniecto in carcerem Manlio haud procul seditione res esset, eius leniendae causa Senatus Satricum coloniam duo millia ciuium Romanorum deduci iussit *n*). Reliqua vide iam supra (§. 55.), vbi de periculo, quod a premente annona tranquillitati imminet, disserui.

De seditione vi repressa.

Quodsi nullo alio modo quies restitui, tumultusque sedari posset, cum sub republica libera armati in Vrbe non essent, nec plebi cedendum esse Patres putarent, factum est SCtum illud nobilissimum, quod tamen vltimae semper necessitatis habitum est: "Viderent Consules, respublica ne quid detrimenti caperet *o*); quibus verbis moderatissimis atque lenissimis plena Consulibus atque infinita potestas tradita, omnia agendi, quaecunque ad seditionem reprimendam idonea ipsis viderentur. In Tib. Gracchi tumultu, cum P. Mucius Scaeuola Cos. Senatum rogaret, quid tali in tempore esset faciendum, plerisque placuit: vt Consul armis rempublicam defenderet. Qui cum quidquam se vi peracturum negaret, P. Scipio Nasica cum agmine optimatium, raptis subselliorum fragmentis mancipiorumque multitudine cum sudibus et clauis, quas domo attulerant, Tiberium petiit, turbamque tumultuantium disiecit. Eodem modo in C. Gracchi tumultu in M. Aemilii Scauri sententiam SCtum factum: vt L. Opimius Cos. rempublicam defenderet. Quo ille accepto Senatum in armis adesse, equites praeterea binos seruos armatos adducere iussit *p*), quibus seditio illa repressa est.

§. 62.

De subsidiis tranquillitatis conseruandae sub Imperatoribus.

Libertate Romanis erepta, reque publica in imperium seu monarchiam mutata, qui solus rerum potitus esset, ei quidem nihil prius, nihil antiquius esse debuit, quam vt institutis manentibus et sui dominationisque securitatem, et vrbis, in qua versaretur, tranquillitatem, si fieri posset, ita stabiliret, vt vix vlla ratione posset sollicitari. Et hoc quidem consilio institutae

I. Caesarum custodiae, quae illorum securitatem tuentes, quibus solis a seditionibus periculum immineret, etiam tranquillitatem iuuerunt. Iam C. Caesarem in corporis sui tutelam militibus vsum et quidem Hispanorum custodias illum sectatas testatur Suetonius *q*). Augustus autem dimissa, quam vsque ad cladem Varianam inter armigeros circa se habuerat, Germanorum manu *r*), certum numerum partim in sui, partim in Vrbis custodiam adlegit *s*). Et hae

m) Idem. V. 24.
n) VI. 16.
o) Cic. in Catilin. I. c. 2. Sallust. in Catil. c. 30. Dio 37. 31.
p) Freinsh. in Suppl. Liv. 61. 20 sq.
q) Sueton. in Caes. c. 86.
r) In Aug. c. 49.
s) Ibid.

hae quidem ſunt illae *cohortes praetorianae* tres *t*) per hoſpitia in Vrbe diſperſae *u*), quae a Tiberio in caſtra ſunt contractae et auctae, ita vt Tacito teſte *x*) nouem, ſecundum Dionem vero decem cohortes decemque millia hominum eſſent *y*). Caſtra habuerunt propter muros Vrbis a Viminali ad portam Exquilinam, quadrata, muris, turribus propugnaculisque munita, inſtructa templo, armamentario, balneis et fontibus. Durarunt haec caſtra vsque ad Conſtantini tempora, qui Praetorianis, quia Maxentio fauerant, e medio ſublatis, caſtrisque dirutis ſpatium Vrbi adiecit *z*). Quinam tum in iſtorum locum ſubſtituti fuerint, haud conſtat, forſan milites Imperatorum domeſtici, quorum certe *ſcholae* poſt imperium diuiſum occurrunt; poterant tamen etiam ſatis videri Imperatoribus, quae ſequuntur, cohortes.

II. Cohortes vrbanae. Tacitus cum Suetonio earum nonniſi tres commemorant *a*). Dio autem Vrbis praeſidio VI. millia ab Auguſto deſtinata eſſe, quadrifariam diuiſa, memoriae prodidit *b*). Parebant autem milites vrbani Praefecto Vrbi *c*), quem Auguſtus Vrbi praepoſuit "ob magnitudinem populi, tardaque legum auxilia, *qui coerceret ſeruitia* et *quod ciuium audacia turbidum, niſi vim metuat.*" Is igitur in certis Vrbis locis milites diſpoſuit, qui a ſtatione, in qua verſabantur, ſtationarii ſunt appellati. Inde Vlpianus de iſtius officio ita praecepit: "Debet diſpoſitos habere milites ſtationarios ad tuendam popularium quietem et *ad referendum ſibi, quid in Vrbe agatur.*" IV. Cohortes Vrbanas vsque ad ſeriora imperii tempora duraſſe, ex Victore, qui ſub Valentiniano et Valente, adeoque circa P. N. C. 365 floruit, et ſexto etiam P. C. N. ſeculo Praefecto Vrbi cognitionem in ſeditioſos datam ex Caſſiodor. Epp. I. 40. diſcimus. Nihilominus cohortium vrban. numerum aliquando auctum fuiſſe ex lapide, quem Reineſius Cl. VIII. 21. exhibet apparet. Ibi enim occurrit MILes. COHortis. XIIII. VRBanae. vid. et Claſſ. V. 15. Ceterum ſi ex rubro libri aliquid certi colligere licet, magno quidem in hac re mihi emolumento fuiſſet Hugonius de Vrbis Romae ſtationibus, verum hoc libro nuſquam potiri contigit.

III. Cohortes vigilum proprie quidem nonniſi incendiis arcendis ab Auguſto inſtitutae feruntur, verum enim vero publicam ſalutem nonniſi tanquam colorem huic rei praetexuiſſe videtur, praecipuam autem iſtius militiae inſtituendae cauſam, certe non leue momentum fuiſſe, vt vigilum ſibi obnoxiorum manu pro inſtrumento dominationis, *praeſertim vero ad noctur-*

t) Ibid. et Tacit. Annal. IV. 5.

u) Tacit. A. IV. 2. Sueton. in Tiber. c. 37.

x) Tacit. A. IV. 5.

y) Dio 55. 24. οἵδε σωματοφυλακες, μυριοι οντες και δεκαχη τεταγμενοι.

z) De caſtris Praetor. vid. Donatus de V. Roma. c. 15. Theſ. Graev. T. III. p. 510 ſq.

a) Tacit. Ann. IV. 5. Suet. in Aug. 49.

b) L. 55. 24. οἱ της πολεως φρουροι εξακισχιλιοι τε οντες και τετραχη νενεμημενοι V. D. Nitſch VI. cohortes vrban. ab Auguſto conſtitutas tradit contra hiſtoricorum fidem, ſex millium numero haud dubie in errorem inductus.

c) Tacit. Annal. VI. 11.

nocturnos tumultus compescendos vteretur. Inde septem illas cohortes certo aliquo modo Praefecto vrbi etiam subiectas fuisse, pluribus auctorum testimoniis probare conatur Reimarus ad Dionem L. 65. c. 17. et quatenus Praefectus Vigilum Vrbi Praefecto subiectus fuisse traditur, hactenus certe etiam cohortes Vigilum ipsius potestati obnoxiae fuerunt. Reliqua de his vide supra §. 48. et 49.

CAPVT III.

De Commoditatibus Vrbis.

§. 63.

Conspectus capitis.

Commoditates Vrbis ea dico publice instituta, quae vitam hominum in ea versantium et commodiorem et iucundiorem reddere possunt. Melius tamen illa commoditatum notio, alias valde vaga, constituetur ac definietur, si statim ea recensuerim instituta, quae ad hanc politiae partem praecipue referenda mihi quidem videantur. Huc spectat

I. Viarum in Vrbe tutela, vt bene munitae sint ac purae; quibus adiungo
- a) Pontes.
- b) Porticus.
- c) Lecticarios et
- d) Latrinas publicas.

II. Aquarum tutela.

III. Balnearum cura et diuersoriorum.

IV. Publica temporis significationem.

De quibus singulis nunc iam agendum.

§. 64.

De viis in Vrbe muniendis.

Priscos Romanos magis necessariis rebus distractos bellisque occupatos, vix de Viarum vrbis munitione cogitare potuisse, in aprico est; etsi cloacarum memori a vero non ita absonum videri possit, etiam sub regibus vias vrbanas fuisse munitas. Certe vltra annum V. C. 442. munitionis initia repeti memoria non possunt. Eo enim anno Via Appia strata, cuius certe pars etiam in Vrbe fuit, et nemo mihi persuadeat, ea, quae maxime necessaria hominibus essent, serius esse instituta, quam quae minus, adeoque vias ante portas prius fuisse munitas vrbanis, quod omni rationi repugnat *d*). Verum non vno

d) Cf. Ill. Beckmann in Beiträgen zur Gesch. der Erfindung. Band II. Stück III. p. 336.

vno eodemque omnes Vrbis vias ſtratas, ſed temporis ſucceſſu ſingulas et quidem publice, i. e. ſumtu ex aerario facto eſſe munitas ex Liuio diſcimus *e*). Viarum vero in Vrbe tutela, tribus potiſſimum rebus cernitur I. vt reficiantur et quidem ex legis praecepto II. vt pateant vſui III. vt purae ſint.

§ 65.

De viis reficiendis.

Diu multumque ſuper hoc argumento diſceptatum, an omnino publico ſumtu viae vrbanae ſint refectae an priuatorum. Omnia tamen ſic ſatis expedita ſunt, niſi ea, quae extra ordinem aliquando facta ſunt, ordinaria fuiſſe et conſueta putes. In hunc vero errorem incidit, qui publicis impenſis, ſi quid in viis vrbanis reficiendum eſſet, hoc factum eſſe, ex Dione probare conatur, vbi ille Agrippam "in aedilitate ſua omnia aedificia publica et omnes vias, *nulla ex publico pecunia ſumta*, reſtauraſſe" memorat *f*). Agrippa enim cum Aedilis eſſet, multa inſtituit, quae neque ante eum, neque poſtea obtinuerunt. Antiquiſſimum autem quod de Viarum in Vrbe refectione agit, monumentum exſtat idem tabulae aeneae fragmentum, cuius iam bis mentionem fecimus a Conrado editum. Lex autem in illo exarata quia longior eſt, quam vt hic repetatur, ſenſum eius reddidiſſe ſatis erit: lege conſtitutum fuit, vt quilibet ſecundum aedificium ſuum vias tueretur, niſi ex altera parte aedes ſacra aut aedificium locuſue publicus eſſet; tum enim dimidiam ſumtus partem aerarium tulit *g*). Hanc autem legem Papiniani tempore, qui P. C. N. 212. diem obiit, adhuc duraſſe, ex fragmento libri, quem ille de officio Aedilium compoſuit, in Digeſtis ſeruato ſatis apparet *h*). Ceterum locupletes interdum fuiſſe, qui in magiſtratu auram popularem captantes vias ſuis impenſis refecerint, vt v. c. Agrippa, nullus negarim.

De modo vias in vrbe conſtruendi et de ſemitis.

Viarum in Vrbe ſtratura ſilice fiebat, vt ex Liuio diſcimus *i*), ſilices autem illos non, vt apud nos fieri aſſolet, malleis dolabrisque particulatim concifos,

e) Liv. 29. 37. 41. 27.

f) Dio 49.

g) Conradi in Parerg. L. III. p. 367 ſq.

h) D. 43. 10. l. 1. §. 3. Cum ad hoc fragmentum in hoc libello ſaepius nobis prouocandum ſit, plurimi autem ſint, qui ad Aediles coloniarum et municipiorum illud tantummodo ſpectare putent, argumenta proferam, quibus motus illo teſte in hac mea cauſa vti non dubito. Primum eſt quod perſuaſum habeo, officia Aedilium in coloniis et municipiis et eorum qui Romae eſſent, nulla alia ratione diuerſa fuiſſe, quam quod Romae Aedilium officia maioris eſſent momenti, poteſtasque eorum latius pateret, quam ceterorum. Notum enim eſt, quod de coloniis Roma deductis et omnino de omnibus coloniis dici poteſt, omnes ſcilicet omnibus modis niſas eſſe, vti cunctarum rerum, maxime vero magiſtratuum ſimilitudine vrbis relictae ſpeciem apud ſe effingerent, ac in illius ſplendore dum vitam degere non liceret, hoc ſaltem ſchemate veluti ſolatio ſeſe ſuſtentarent. Gellio itaque N. A. 16. 13. coloniae quaſi effigies paruae populi Rom. ſimulacraque eſſe videntur. Alterum mihi argumentum a Fragmento Britannico (de viis vrbanis) repetitum, quocum et in reliquis Papiniani fragm. egregie conuenit.

i) Liv. 41. 37.

concisos, sed grandes et multiplici ferme angulo perpolitos, vt aliis facile coagmentari possent, nec se commissura laxaret, Alexander Donatus ex detectis Romae viarum reliquiis edocuit k). In margine autem viae semitae erant, seu spatia prope aedes grandibus et e viua rupe caesis lapidibus strata, quibus euntium commoditati ad euitandam molestiam, quae a iumentis, vehiculis, baiulis aduersum venientibus in via lata euntibus creantur, egregie prospici, nos quidem omnes, quibus in hac Musarum gratissima sede versari contigit, experientia sumus edocti. De Semitis Vrbis rite construendis exstat lex in Fragmento Britanico l), quod totum in nostrum vsum convertere licet: QVOIVS. ANTE. AEDIFICIVM. semita. in. loco. erit. is. eam. semitam. eo. aedificio. perpetuo. lapiditibus. perpetueis. integreis. continentem. constratam. recte. habeto. arbitratu. eius. AED. quoius. in. ea. parte. H. L. viarum. procurator. erit. Integris igitur lapidibus lex iubet semitas sterni, scilicet vt semitae latitudo singulis consterneretur. Ceterum semitae Romae binos pedes in latum non prorsus aequabant, vnde Cic. de angustissimis vrbis semitis queritur in Orat. adv. Rullum, supra viam vero ad sesquipedem adsurgebant, quam quidem rationem, etsi ad semitarum perennitatem viarumque firmamentum mirum prosit, in nostris certe academiis vix possem approbare.

§. 66.

De cura viarum, ne vsus a priuatis impediatur.

Neque haec a Romanis cura neglecta, vt viarum vsus omnibus semper pateret. Itaque in Fragmento Britanico lex comprehenditur his fere verbis concepta m): Ne quis in locis publicis atque porticibus quid inaedificatum inmolitumue habeto, neue ea loca porticumue quam possideto, neue eorum quod saeptum clausumue habeto, quo minus eis locis porticibusque populus vtatur, pateantue, nisi quibus vtique legibus, Plebisue scitis Senatusue consultis concessum permissumue est. Eodem spectat interdictum praetoris, quod non esse temporarium expressis verbis Vlpianus refert n). Praetor ait: in via publica itinereue publico facere, immittere quid, quo ea via idue iter deterius sit, fiat, veto. Ne in locis publicis aedificaretur aut priuata aedificia extenderentur quod proaedificatum dicebant, interprete Festo, eam curam olim Censores gesserunt. Ita apud Liuium Cato et L. Valerius Censores omnia, quae in loca publica inaedificata immolitaue priuati haberent, intra XXX dies sunt demoliti o). Augustus loca in vrbe publica iuris ambigui possessoribus adiudicauit p), postea vero peculiares instituti sunt magistratus

 ac

k) De Vrbe Roma l. I. c. 23.
l) Versu. 53. vid. Conradus l. cit. p. 373.
m) Versu. 68 sq. Conrad. p. 375.
n) D. 43. tit. 8. l. 21. §. 20. 35. et 40.
o) Liv. 39. 44. cf. Plutarch in Catone aliud exemplum Liv. 43. 16. exhibet, vbi et multam pro concione Censores dixerunt.
p) Sueton. in ej. Vita. c. 32.

ac iudices, quales IIviri locorum publicorum persequendorum et Curatores locorum iudicandorum apud Gruterum occurrunt. Tabernas, quibus mercatores et opifices vias publicas propter aedificia occupauerant, a Domitiano sublatas Martialis celebrat L. VII. Epigr. 61. vbi sic finit:

Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina seruant,
Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.

Sub Valentiniano Sen. aedificia, quae vulgo Parapetasia vocantur, omniaque opera, quibus angustarentur platearum spatia, teste Marcellino *q*), a Praefecto Vrbi diruta sunt; "quem et moeniana sustulisse, *fabricari quoque legibus vetita*" idem auctor est.

§. 67.

De viis purgandis.

Romae cum itinera arta vicique vsque ad Neroneum incendium angusti *r*), viae autem *planae* nec in medio, vt aqua vtrimque deflueret, elatae essent, propter populi quam maximam turbam per vias continuo ruentem et iumentorum vehiculorumque multitudinem, magna opus fuit sollertia, si viae semper mundiores conseruari deberent. Plures autem iam sub republica de viis purgandis exstitisse leges iterum ex Fragmento toties laudato discimus. Qui huc spectat locus ita se habet: QVOMINVS. AED. (aediles) ET. IIIIVIR. (quatuor viri) vieis. in. vrbe. purgandeis. IIviri. vieis. extra. propiusue. vrbem. Rom. passus. (M.) purgandeis. queiquomque. erunt. vias. publicas. purgandas. curent. eiusque. rei. potestatem. habeant. ita. vti. *legibus. PLebisVE. SCitis. Senatus. Consultis.* oportet. oportebit. eum. H. L. N. R. (eorum hac lege nihil rogatur) *s*). Papiriani quidem tempore lege prohibitum erat, purgamenta et stercora in via proiicere; et canales seu aquaeductus, qui sub dio essent, quilibet ante domum suam purgare debebat *t*). Omnibus tamen hisce legibus impetrari viarum mundities non potuit et saepe auctores de viis queruntur coenosis et lutulentis. Ita apud Martialem Epigr. VI, 60.

Et praetor medio cogitur ire luto.

et L. V, 23. — nunquam sicco sordida saxa gradu.

Nec

q) Libro 27. 9.

r) Cum in viarum Vrbis vsque ad Neronis incendium angustiis omnes auctores, inprimis autem Seneca Pater, Tacitus et Suetonius consentiant, L. Annaeus Seneca de Clementia I. c. 6. solus *itinera vrbis latissima memorat.* Quid de hoc statuendum? Aut iam ante illud incendium quaedam Vrbis viae latiores erant, aut ex orationis genere declamatorio *latissimarum* epitheton fluxit, aut, quod primum in mentem venit, Liber de Clementia non est eius temporis atque auctoris, quorum vulgo fertur. Certe si otium fuisset, eo consilio librum perlegissem, vt attenderem, si forte alia serioris aeui vestigia seu indicia in eo possent deprehendi.

s) Conrad. l. c. p. 373.

t) D. 43. tit. 10. §. 3. et 5.

Nec refragatur Horatius Epp. II, 2.

— Purae
Sunt plateae, nihil vt meditantibus obftet.

nam in fequentibus huic obiectioni occurrens aliter rem fe habere oftendit.

§. 68.

De magiftratibus viarum in Vrbe fub rep. tutoribus. †)

Quo tempore primum vias vrbis publice ftratas accepimus eo quidem vt munirentur, locandarum curam *Cenfores* habuerunt, quos poftea etiam aliis in viarum tutelam magiftratibus creatis ab earum cura non plane remotos fuiffe, quae §. 66. attuli, exempla declarant. Quos autem innuo magiftratus, fi quidem Pomponio ICto in tanta antiquitate fides, *Quatuorviri* illi funt V. C. 364. conftituti, "*qui viarum curam gererent.*" *u*) Verum enim vero fi temporis rationem habeas, ftatim apparet, Quatuorviros illos centum fere annis prius conftitutos ab eo auctore tradi quam omnino itinera in vrbe ftrata Liuius refert. En igitur notabile exemplum, quanta iam altero P. C. N. feculo inter Romanos hiftoriae antiquae imperitia fuerit atque ignorantia. Quo lex illa antiqua, cuius fragmentum toties laudatum noftrum iam appellare liceat, lata fuit, eo quidem tempore praecipua Viarum in Vrbe cura apud Aediles Curules fuit atque plebeios, quorum officium lege illa accuratius definitum paucis eft delineandum *x*).

Primum ipfis id negotii datum, in ea quae cuique obueniffet parte vrbis curare, vt priuati eas vias, quae ante cuiusque domum effent, tuerentur et ne eo loco aqua confifteret, quo minus commode populus iftis viis vteretur.

Deinde, videre, quod ad viam pertinet, quae inter aedem facram vel inter aedificium vel locum publicum et inter aedificium priuatum effet, vt eius viae dimidiam partem in fua quisque parte Vrbis tuendam locaret.

 Tertio

†) In hac quidem § iam labafco et in illam fententiam proclino, ficuti aquarum, ita et viarum vnum tantum Curatorem fub Imperatoribus fuiffe conftitutum. Fidem facit Infcriptio apud Gudium p. 17. n. 6. vbi occurrit M. Poplicius Modeftus, tempore Antonini Pii Curator Viarum et cloacarum, quem ab Vrbe relegare, vt Vlyirus, non licet. Idem Venuleius fuadet D. 43. tit. 23. l. 2. his verbis: "nouam cloacam facere ex Labeonis fententia *is* demum concedere debet, *cui viarum publicarum cura eft*" Omnem tamen meam fententiam vt retractem, tempus nunc iam non fuppetit, fincere tamen indicandum putaui, ad corrigenda dicta, fi quando opus fuerit, femper paratus. Calend. April.

u) De Orig. Iuris. II. §. 30. et Rupertus in Animaduerf. in Enchiridion Pomponii L. II. c. 16.

x) Conradi in Parerg. p. 367 fq. et 398 fq.

Tertio tandem, vt viam, quam quisque possessor ante aedificium suum, vti oporteret, haud tueretur, pariter eam tuendam locaret, hac tamen lege, vt antequam locaret, non minus X diebus apud forum ante Tribunal suum in tabula publice proponeret, quam viam tuendam et quo die locaturus esset, atque eis, quorum ante aedificia ea via esset, seu absentium procuratoribus idem denunciari faceret. Facta autem viae locatione, quam dominos ante suas quemque aedes tueri oportuisset, Tribunus, Praetor, Quaestor vrbanus, quiue aerario praeessent, per quos illa locatio fiebat, istos tantae pecuniae, quantae locatio facta esset, in tabulas publicas referendos curarunt et pecuniam redemtori ex lege locationis attribuerunt *y*).

Eandem fere rationem nempe vt quisque ante suam domum vias construeret eiusque rei apud Aediles arbitrium esset, Papiniani tempore adhuc obtinuisse ex eo eius fragmento, quod de officio Aedilium superest *z*), satis apparet, adeo vt Mazocchius non dubitet, Papinianum legem in fragmento Britanico contentam ante oculos habuisse. Illud in hac re Papiniano proprium est, vt quicunque mercede habitent, si non construat dominus, ipsi construentes computent impensas in mercedem. Ex iure igitur ordinario, non, vt Petrus Burmannus *a*) putauit, extra ordinem, Aedilibus cura muniendi reficiendique vias erat commissa, purgandarum autem munere vna cum *IVviris viis purgandis* illos esse functos, quae legis antiquae verba § antecedente attulimus, satis declarant, IVviros autem ab Aedilibus diuersos fuisse, contra Scaligerum Ev. Otto *b*) euicit, quod illo tempore, quo Fragmentum Britanicum nondum in lucem prodierat, non ita facile erat ad demonstrandum. Et hi quidem sunt illi IVviri a Pomponio supra memorati, etsi multo serius, quam ipse tradit, et vt Bergerio videtur, demum anno IↃX. ad viarum curam constituti; a quibus non diuersi sunt illi τεσσαρες, οἱ των εν τω αστει ὁδων επιμελȣμενοι, quos inter XXviros SCto ex Equitibus factos Dio recenset *c*). Rarior eorum est mentio apud auctores Romanos, et, si vtrumque Pomponii atque Dionis locum laudatum, Tabulam Britanicam dubiumque adhuc Ciceronis locum *d*) excipias, nusquam alibi occurrunt. Qui autem viarum curandarum IVviri in marmoribus saepissime occurrunt *e*) eos quidem ab omnibus antiquitatis scriptoribus in vrbanorum magistra-

y) Conradi Parerg. III. p. 367 sq.

z) D. 43. tit. 10. quod fragmentum mirum est, quantum Germanorum ingenia exercuerit. cf. Conradus in Praefat. ad Parerga. p. XLVIII sq. et in ipso opere pag. 306 sq. Iac. Gothofredus ad l. 2. Cod. Theod. de itinere mun. alias et Cuiacius in Comment. ad Papiniani fragm. in Paratitl. ad l. d. et Observ. L. 22. c. 31. Brissonius Select. Antiq. IV. 12.

a) De vectigal. Pop. R. c. 12.

b) De tutela viar. p. 372.

c) Dio 54. c. 26. cf. Masson in Vit. Ouidii p. 56 sq.

d) Cic. ad Div. X. Ep. 31. "Asinius Pollio IVviratum sibi prorogauit.

e) Vid. Inscriptt. apud Pannin. de V. R. p. 65. et Gruterum p. 248. 6. 423. 4. 430. 5. 492. 4. et Reinesius p. 435.

magiſtratuum cenſum falſo relatos contra vero viarum quarundam per Italiam curationem illis mandari ſolitam eſſe, iam mihi eſt certo perſuaſum *f*).

§. 69.
De viocuris ſub Imperatoribus.

Sub republica libera viarum in Vrbe cura inter Aediles Curules et Plebeios ita diuiſa erat, vt, quas iam Seruius Tullius vrbis partes ſiue regiones feciſſe fertur, earum vnam quamque Aedilium quisque, prout vel inter ſe comparaſſent, vel ſors tuliſſet, curandam haberet. Auguſtus autem ſpatium Vrbis in regiones XIV. vicosque diſtribuit, inſtituitque V. C. 747. vt illas annui magiſtratus ſortito tuerentur, hos magiſtri e plebe cuiusque viciniae electi *g*). Ne autem dubitemus, quinam illi magiſtratus fuerint, Dio *h*) expreſſis verbis: "αγορανομοις, δημαρχοις, και στρατηγοις πασαν την πολιν εις δεκατεσσαρα μερη νωμηθεισαν κληρῳ προσταχθεισιν επιτραπηναι" nos docet additque ὁ και νυν γινεται. Aedilibus igitur, Tribunis pl. et Praetoribus *i*) curam regionum, vt cuique forte obtigiſſet, Auguſtus iniunxit, isque ordo vsque ad Dionis tempora, id eſt circa 220 P. C. N. permanſit. Recte adeo negarunt Torrentius atque Caſaubonus, nouos ex Auguſti inſtitutione creatos eſſe magiſtratus. Alexander Seuerus ſub quo Dio floruit, curatores Vrbis XIV. fecit, verum ex conſularibus viris *k*). Publius Victor, qui circa 389. P. C. N. vixit, Curatores regionum XXIV. memorat, etſi, a quo principe ille numerus in tantum auctus ſit, ignoramus.

Quod ad Magiſtros pertinet viarum curatores ex plebe cuiuscunque viciniae electos, illis quidem in iis locis, quibus praeeſſent, non praetexta ſolum et lictoribus binis vti conceſſum eſſe Dio tradit, verum etiam ſeruitia addita, quae antea cum Aedilibus in vſum reſtinguendorum incendiorum fuerant *l*). Inde vero ſuſpicio mihi oritur, eos praeter viarum curam ignota adhuc officia ad ſecuritatis curam pertinentia habuiſſe; quod eo probabilius mihi videtur, cum viarum purgandarum curam, quam ipſis forſan iniunctam fuiſſe putes, Aediles habuerint, vt ex Suetonio diſcimus, vbi Caius Caeſar "Veſpaſianum, cum Aedilis eſſet, ſuccenſens curam verrendis viis non adhibitam,

f) Habes hic iam in difficili et maxime impedita de IVviris viarum curandarum quaeſtione meam ſententiam, quam quidem non parui laboris fructum ſine inuidia liceat appellare. Olim quidem propoſitum erat, copioſius de illis in excurſu agere, in quo argumento, cum multos doctorum Virorum errores notandi atque refellendi occaſio fuiſſet, forſan non ſine aliqua doctrinae ſpecie verſari licuiſſet. Verum enimuero, cum iam in tantum voluminis excreſcere libellum ſentirem, nec a iuuene imperito doctorum virorum laudibus aliquid detrahi ſapientis animum iuuet, conſilium libenter abieci.

g) Sueton. in Aug. c. 30.

h) Dio 55. 8.

i) De his vid. Inſcriptio Gruteriana pag. 61. n. 3. vbi dicitur: Praetor, cui haec regio ſorti obuenerit, aliusue quis magiſtratus &c.

k) Lamprid. in Seuero. c. 33.

l) Dio 55. 8.

bitam, luto in praetextae sinum per milites congesto iussit oppleri." m) Viarum vt purae essent curam etiam Papiniani tempore Aedilibus incubuisse, ex eius fragmento de officio Aedilium liquet. Ceterum P. Victoris tempore Vicomagistrorum Romae numerus ad DCLXXII. excurrit.

Quaestorum denique collegio viarum in Vrbe straturam aliquando fuisse iniunctam non Bergerius n) solum, verum etiam Ev. Otto o) docuerunt. Certe Suetonius in Vita Claudii c. 24. videtur tale quid affirmare; sed qui antiquitatem nouit, ei statim ibi apparebit, non quaestorum collegio viarum curandarum prouinciam proprie datam fuisse, verum ad candidatorum dignitatem profuisse si sumtus viae publicae muniendae impendissent.

Etiam Praefectum Vrbi aliquando vias publicas curasse, lapis apud Gruterum p. 152, n. 8. ostendit.

§. 70.

De pontium cura.

Pontes iam sub viis comprehensos fuisse, alicui forsan recte videatur; sunt enim viae super flumen exstructae et hactenus sigillatim de illis agere supersedere possem, nisi in illorum cura quaedam occurrerent singularia, quae non praetermittenda putaui. Pontium Tiberi impositorum numerus sensim sensimque ad octo accreuit; lignei primum, postea lapidei fuerunt exstructi. Vetustissimus *Sublicius* fuit, qui absque vllis clauis ferreis est refectus, posteaquam Coclite Horatio defendente aegre reuulsus erat. Sequitur *Palatinus*, quem a Liuio L. 40, c. 51. designatum intelligendum esse omnes antiquitatis scriptores non iniuria censent. Nomen enim adiicere, cum non alius intra Vrbis moenia tunc temporis e lapide pons esset, supervacaneum fuit. Insula Tiberina duos pontes habuit, *Fabricio* alteri, alteri *Caestio* nomen. *Ianiculensis* a transitu dictus, quem in Ianiculum dabat. *Triumphalis* seu *Vaticani* etiam hodie pilae visuntur. *Aelio* Ponti Hadrianus nomen dedit. *Miluius*, olim Aemilius a M Aemilio Scauro, postea corrupte Miluius appellatus. In Notitia Imperii pons denique Probi legitur, quem ab Imp. Probo denominatum Pancirollus hariolatur.

Pons Sublicius a Pontificibus semper refectus, qui inde nomen duxerunt. Fuit enim ille sacer aestimatus, ita vt in aliqua parte labantem, nisi caesa victima et sacrificio peracto, reficere non liceret. Reliquorum curam primum Censoribus mandatam esse ex Liuio constat. Ita V. C. 572. M. Fuluius Censor pilas pontis in Tiberim locat, quibus post aliquot annos P. Scipio Africanus et L. Mummius Censores fornices locarunt imponendos p).

Sub

m) In vit. Vespasiani. 5.

n) Histoire des grands chemins I. I. c. 3 § 8.

o) De Tutel. Viar. II. c. 3. p. 351.

p) Loc. cit. cf. L. 41 27. vbi vero "pontes multis locis a Censoribus facti" non ad Vrbem, certe non solum, sed ad vias extra Vrb. sunt referendi.

Sub Imperatoribus partim Curatores viarum, partim Curatores aluei et Riparum Tiberis pontes curarunt. Forsan et aliquando ad Curatorem operum publicorum pertinuerunt, verum de eo non conſtat.

§. 71.
De porticibus.

Ad commoditates Vrbis duplici ratione referendas eſſe arbitror porticus. Primum enim ad euitandum Solis aeſtum, ſi aut deambulare denſa ſub vmbra iuuaret, aut ſermones de negotio publico vel priuato cum aliis caedere velles, nihil opportunius eſſe potuit. Deinde vero porticus etiam contra pluuiam, praeſertim ſi repentinus imber ludos interpellaſſet, ſpectatoribus ex Theatris nondum tectis optimum praebebant refugium, vnde et iam a Tarquinio Priſco porticus circa forum factas Liuius memorat *q*). Noſtrum hic non eſt celeberrimarum porticuum nomina laudare; inſpiciendae de his ſunt Veteris Vrbis operumque antiquorum deſcriptiones. Sub republica porticuum exſtruendarum, ſternendarum reficiendarumque curam Cenſores atque Aediles habuiſſe conſtat, hos ex pecunia multatitia, iſtos autem ex pecunia publice adtributa et inter ſe diuiſa *r*). Etenim V. C. 573. vectigal annuum ipſis decretum eſt, quo in opera publica vterentur *s*). Praecipua in porticibus cura fuit, proſpicere, ne quid fieret, quo vſus earum publicus impediretur. Itaque in lege antiqua ex Tabula aenea Britanica etiam hoc cautum legimus: ne quis porticum poſſideat aut in porticibus quid inmolitum, neue porticuum quid ſeptum clauſumque habeat, quo minus porticibu- populus vtatur pateantue, niſi quibus vtique lege, Plebiſcito Senatusue conſulto conceſſum permiſſumque eſt *t*). Excipiebantur hac adiectione qui in porticibus ius dicentes ibi tribunal ſuum collocarent, etiam argentarii, artifices, mercatores et omnes quibus tabernas in porticibus habere permiſſum erat. Sub Imperatoribus porticuum cura aut ad Curatores regionum, aut ad operum publicorum Curatores itidem ab Auguſto inſtitutos ſpectaſſe videtur.

§. 72.
De lecticariis.

Lecticariorum inſtitutum in vrbe tantae amplitudinis, atque ſalebroſis plerumque viis famoſa, ſine dubio ad praecipuas commoditates referendum eſt, etſi apud Romanos non commoditatis ſolum, ſed praecipua luxus inſtrumenta lecticae fuerint. Poſt bellum punicum ſecundum primum ex Aſia Romam lecticae commigrarunt, ab initio autem nonniſi ad itinera facienda adhibi-

q) L. I. c. 35.
r) Liv. 35. 10. 40. 51. Lib. 41. 27.
s) Idem 40. 46.
t) Conradi Parerg. p. 375 ſq.

adhibitae, donec Iulii Caesaris tempore etiam per Vrbem lecticis ferri luxuria docuit. Primum nonnisi a seruis suis priuati lectica per Vrbem ferebantur, postea autem lecticarii, vti nunc sunt baiuli sellarii, ex abiectae conditionis hominibus publice constituti, qui operam suam mercede conducti illis praestarent, quibus seruorum copia non esset. Castra habebant trans Tiberim, quod mihi valde incommodum fuisse videtur. Lecticariorum enim stationes vt celeriter et ex proximo euocari possent, in qualibet Vrbis regione constitutas esse oportuit. Sed videmus inde lecticarum commoditatem politiae Romanae non magnae curae fuisse; nisi forsan potius aliquis opinetur, data opera trans Tiberim castra lecticariorum fuisse relegata, vt hac ratione luxus apud multos inhiberetur. Etenim iam a C. Iulio Caesare, pristinorum morum recordatione tacto, prohibitae lecticis vti, quae nec viros nec liberos haberent et minores essent LV. annis *u*). Sub Augusto lecticae sine poena et lege et inferiori aeuo passim in vsu fuerunt, Domitianus tamen Imperator lecticarum vsum probrosis feminis ademit *x*).

§. 73.

De latrinis publicis.

Cum nihil vile in politia sit iudicandum, vnde aliqua procuratae ciuibus commoditatis laus possit acquiri, neque hoc institutum, quod in vrbe amplissima atque celeberrima non minimi momenti esse potuit, quodque apud nos imitari quibusdam ex caussis periculosius esset, silentio videtur praetereundum. Verum enimuero nisi P. Burmannum sequaris, qui Suetonium in Tiberio c. 58. *y*) de hoc instituto intelligendum esse satis probabiliter censet, res est nonnisi serioris aeui et Sextus Rufus quarto demum post Ch. N. seculo eius mentionem iniecit. Latrinas publicas vilibibus hominibus, qui Foricarii dicti sunt, locauerunt, qui vectigal exigebant ab his, qui subita necessitudine deprehensi se ibi exonerare cogebantur. Eodem modo amphorae in viis vicorumque angulis positae, in quibus gratis vrinam coniicere licuit vsque ad Vespasiani tempora, qui vectigal vrinae, vt Burmannus iterum putat, ad similitudinem foricarum instituit, amphorasque illas sordidis hominibus locauit, qui stipem ab hominibus, lotium in istis reddere necessitate coactis, exigebant. Alii tamen illud vectigal a fullonibus exactum putant, qui vrina collecta ad vestimenta lauanda vtebantur.

CAP. III.

u) Sueton. in Caes. c. 43. qui locus supplendus ex Chronico Eusebii.

x) Sueton. in Domit. c. 8.

y) Capitale erat, "nummo vel annulo effigiem impressam *latrinae aut lupanari intulisse.*"

CAP. III. SECT. II.
De Aquaeductibus.

§. 74.
De aquis Romam deductis.

Accedo nunc ad alterum illud Romanorum operum, quod maieſtatis Romanae magnitudiniſque imperii praecipuum eſt indicium — Aequaeductus puto, quos "vera aeſtimatione inuicta miracula" Plinius vocat neque vana eſt illa gloriatio. Adducta enim aqua ex regionibus longinquo ſpatio remotis, etiam vsque a quadrageſimo lapide, actis per montem cuniculis, arcubus et fornicibus in quibusdam locis ad CIX pedes eleuatis z), ad eam excelſitatem, vt in omnes Vrbis montes tolleretur, tantaque flueret copia, vt Straboni flumina per Vrbem fluere ſint viſa, et vt omnino ſolus aquaeductuum adſpectus et contemplatio omnes omnis aeui homines in ſtuporem rapiat rapueritque, mentes etiam obnubilet architectis, cum vel paucas reliquias ruinasque intueantur.

Per annos ab V. C. 441. contenti Romani fuerunt vſu aquarum, quas aut ex Tiberi aut ex puteis, aut ex fontibus haurirent a). Verum cum vrbs et frequentia ciuium et amplitudine creuiſſet, regionesque a flumine remotiores colerentur, aliunde aqua fuit adducenda. Aquaeductuum autem ex longingno petitorum primus fuit aquae Appiae, ab Appio Claudio Cenſore V. C. 441 in Vrbem deductae. — Anio Vetus 39 poſt annis adeoque V. C. 480. a M. Curio Dentato et L. Papirio Curſore Cenſoribus ex manubiis de Pyrrho captis; Tepula V. C. 628. a C. Seruilio Caepione et L. Caſſio Longino Cenſoribus; Marcia a Q. Marcio Rege Praetore; Iulia a M. Agrippa V. C. 721. et ab eodem Aqua Virgo 735; Alſietina eodem tempore ab Auguſto deducta, vnde Auguſtae nomen meruit. Claudiae ductum C. Caligula inchoauit, qui vero perfecit, Claudius nomen dedit. Poſtea Anio nouus ex Aniene deductus, quem Frontinus reſtituit. Frontini tempore nouem fuere, poſtea plures in Vrbem aquae deductae, Victor XX, Notitia imperii XIX, Procopius XIV. tantum memorant.

 Quibus

z) Quid loquar aerio pendentes fornice riuos? Rutilius in Itinerario. v. 97. Wernsdorf Poet. lat. min. T. I. P. I. p. 94.

a) Ita Frontinus, aquarum Nerua imperante Curator, indicat in libro quantiuis pretii, quem de aquaeductibus ſcripſit, qui nobis in hac politiae parte vnicus fere dux fuit ſequendus. Ne autem in ſingulis centies ad illum pronocare cogerer, Poleni indice vberrimo eſt proſpectum. In hoc quidem ab optimi pieque colendi praeceptoris Ill. Gatterer ſententia inuitus diſceſſi, etſi mihi ignotae ſint obiectiones a V. C Groſsley contra illam allatae. vid. Gatterer Weltgeſch. Th. I. S. 364. et Allg. Litterat. Zeitung. Iahrg. 1785. p. 271.

Quibus ductibus cum aqua in Vrbem influeret, diuisa primum est in Castella in qualibet regione exstructa, quae Vlpianus ita describit: "Castellum est receptaculum quod aquam publicam recipit;" addit Frontinus: "ex castellis ad omnes viarum anfractus aqua per vncias et digitos diuiditur" vnde et Diuidicula sunt appellata. Lacus autem fuerunt aluei, in quibus aquae ex ductibus reciperentur, vt vsui essent, iumentorum potui, lotionibus, incendiis exstinguendis, balnearum, fullonum aliorumque opificum necessitatibus, postremo horti ex istis lacubus irrigati. Ceterum notabile est, Frontini demum tempora Aquam Marciam, quae erat omnium frigidissima et saluberrima, potui omnem fuisse destinatam atque per subterraneos meatus in omnes fere Vrbis vicos deriuatam, vt ibi ex siphonibus publice saliret.

§. 75.

De Tutela aquarum.

Aquarum tutela duplicem complectitur curam; primum ne dolo malo subducantur neque conspurcentur, deinde ea huc pertinet cura, quae siue ad defendenda a detrimentis castella et aquaeductus, siue ad reparanda, si quae ceperunt, adhibetur. Primum tutelam aquarum, alteram aquaeductuum liceat appellare.

Quod ad primum quidem attinet, apud antiquos omnis aqua in vsus publicos erogata cautumque ita fuit: Ne quis priuatus aliam ducat, quam quae ex lacu humum accedit. Verum et haec ipsa, quam caducam Romani vocarunt, non in alium dabatur vsum, quam in balnearum et fullonicarum, eratque vectigalis statuta merces, quae in publicum impenderetur. Agri autem, qui aqua publica contra illam legem essent irrigati, publicabantur. Ad quem vero magistratum ius dandae vendendaeue aquae pertinuerit, id quidem in ipsis legibus variatum. Quoties in republica Censores essent, ab iis potissimum aqua petita, cum non essent, Aedilium fuit aquae dandae potestas. Priscis autem temporibus, quibus per pauciores ductus aqua in Vrbem ducebatur, non assidue in publico aqua saluit, sed erant, ab Aedilibus Curulibus per vicos singulos, ex iis, qui in vnoquoque vico habitarent, praediaue haberent, bini praefecti, quorum arbitratu aqua, quoties vellent, in publico saliret. Anno autem V.C. 741. in re, quae vsque in id tempus, vt Frontinus ait, quasi potestate acta, certo iure eguisset, SCtum factum est et lex promulgata: vt salientes publici quam assiduissime interdiu et noctu aquam in vsum populi funderent; quod post magnificam illam Agrippae Aedilitatem, cum iam per septem ductus maiore copia aqua in vrbem influeret, facile fieri potuit.

Sub Imperatoribus de iure aquae ducendae haec praecipue obseruata inuenio.

I. Qui-

I. Quicunque aquam ad vſum priuatum deducere vellet, impetrare eam debebat et a principe epiſtolam ad Curatorem aquarum adferre.

II. Omnis aquae cum poſſeſſore inſtauratum beneficium. Itaque de praedio vendito aut poſſeſſore mortuo Curator aquarum certior erat faciendus.

III. Ne caducam quidem vlli ducere licuit, niſi principis beneficio. Illa enim pertinuit ad vrbis ſalubritatem, quippe quae canalium, quae ſub dio erant, immunditias atque ſordes abluendo in cloacas deferret.

Vt autem pura et limpida in publicum aqua profluerct, lex antiqua fuit his verbis conſcripta: Ne. quis. aquam. oletato (ideſt, ne conſpurcato). dolo. malo. vbi. publice. ſaliet. Si quis oletarit; ſeſtertiorum. decem. millia. multa. eſto. Veruntamen aquae Romanae ne vel exiguis imbribus turbulentae ac limoſae redderentur, vix poterat impediri.

§. 76.

De tutela aquaeductuum.

Quae ad defendendos a detrimentis vel ad reparandos aquaeductus leges et SCta ſpectarunt, eorum quidem plura ſunt nobis a Frontino ſeruata, verum nonniſi praecipua hic poſſunt referri.

V. C. 743. Senatus conſultum in hanc ſententiam factum: Circa aquaeductus vtraque ex parte vt vacuos quinos denos pedes paterent et circa riuos ſubterraneos et ſpecus intra Vrbem et extra Vrbem, ſi continentia aedificia eſſent, ex vtraque parte quinos pedes, ita vt neque monumentum in his locis, neque aedificia poſt hoc tempus ponere, neque arbores conſerere liceret; quae nunc arbores eſſent, intra ſpatium exciderentur deque ea re iudicarent atque cognoſcerent Curatores aquarum. Eodem anno placuit, vt aquaeductuum reficiendorum cauſa per priuatorum agros itinera, actus paterent. V. C. 745. T. Quinctius Criſpinus legem tulit: Quicunque poſt hanc legem rogatam riuos, ſpecus, fornices, fiſtulas, caſtella, lacus aquarum publicarum ſciens dolo malo forauerit, ruperit, foranda rumpendaue curauerit, peioremue (nonne peioraue?) fecerit, is populo Romano C. millia dare damnas eſto et qui clam eorum ita fecerit, id omne ſarcire reficere &c. damnas eſto. Arbores, vites, vepres, ſentes, ripae, maceria, ſalicta, arundineta tollantur, excidantur, effodiantur &c. eoque nomine curatoribus aquarum pignoris captio, multae dictio coercitioque eſto, idque iis ſine fraude facere liceat. Lex de arboribus remouendis quas importabiles moenium arietes vocat Caſſiodor. Epp. VII, 6. a poſteris imperatoribus ſaepiſſime eſt repetita b). Quodſi ſerui laeſiſſent aquaeductus, poena eadem dominis indicta.

Legibus ad tutelam aquaeductuum praecipue ſpectantibus hactenus commemoratis, nunc iam ad tutelam ipſam progrediar. Olim quidem ſingularum

b) Vid. leges, quos Scriuerius ad Frontinum collegit, etiam Poleni edit. annexas.

gulatum aquarum tutelam locari folitam Frontinus inuenit, pofitamque redemtoribus (qui, cum publice quid faciendum aut praebendum conduxerant effecerantque, tum demum, fi probatum effet, pecuniam accipiebant) neceffitatem, certum numerum circa ductus extra vrbem, certum in Vrbe feruorum opificumque habendi. Sub Imperatoribus autem duae erant familiae, altera publica, altera Caefaris. Publica et antiquior, quam ab Agrippa teftamento fibi relictam Auguftus publicauerat, circiter 240 homines habuit. Caefaris familiam Claudius, cum aquas in Vrbem perduceret, conftituit, eiusque numerus erat 460. Vtraque in aliquot minifteriorum fpecies diducta erat; 1) Villicos feu aquarum extra Vrbem difpenfatores; 2) Caftellarios, qui circa aquarum caftella verfabantur; 3) Circitores, qui aquaeductus circuibant et renunciabant, fi quid ftructuris, arcuationibus riuis damnum accidiffet, vel fi aliqua fraus effet commiffa; 4) Silicarios, qui ftratas filice vias perrumpebant ad fubditos aquarum ductus reparandos, et vias iterum fternebant; fecundum alios autem Siliquarii funt appellati, (a filiqua, quae eft fextans fcrupuli) fueruntque aquarum admenfores, ex quo tempore ciues opulentiores fiphones et fiftulas vndofas in aedes certis menfuris deriuabant, et pro hac aqua certum vectigal foluebant. 5) Tectores, qui caftella et opera arcuata tegebant aliosque id genus opifices. Omnes in Vrbe circa caftellorum et munerum ftationes opera quaeque vrgebant, fi aut vetuftate quid effet corruptum, aut impotentia poffefforum, aut vi tempeftatum aut culpa male facti operis, reparatione aquaeductus indigerent. Commoda familiae publicae ex aeraris dabantur, quod impendium exonerabatur vectigalium reditu ad ius aquarum pertinentium; Caefarum familia ex fifco commoda accipiebat, vnde et omne plumbum omnesque impenfae ad ductus et caftella et lacus erogabantur. A. Conftantino Imp., qui fordibus effent oppleti, eorum aquaeductuum purgatio priuatis fuit iniuncta per quorum praedia meatus tranfirent. Difcimus hoc ex refcripto Imperatoris ad Maximilianum Confularem (aquarum) V.C. 1082. P.N.C. 330. miffo, quod ita fe habet: Praediorum poffeffores, per quorum fines formarum (aquaeductuum) meatus tranfeunt, ab extraordinariis oneribus volumus effe liberos, vt eorum opera aquarum ductus fordibus oppleti mundentur. Quod fi neglexerint, amiffione bonorum multabuntur *c*).

§. 77.

De Magiftratibus, qui aquarum curam gefferunt.

Quo tempore primum aquas in Vrbem publice adducere placuit, *Cenfores* tum eo munere functos effe, iam antea vidimus *d*). Apud eosdem aquarum

c) Cod. XI. tit. 42. l. 1. vbi et aliorum exftant conftitutiones, de quibus vero incertum eft, vtrum ad Vrbem, an ad Conftantinopolim fpectarint.

d) Liv. 39. 44. et 40. 51.

aquarum tutelae ſumma cura fuit, omnia autem locatione conductione, ſicuti et alia publica opera, ſunt perfecta. Quodſi autem Cenſores in republica non eſſent, *Aedilibus* illa cura fuit iniuncta. Memorabilis hoc reſpectu inprimis fuit Agrippae Aedilitas, qui adiecta Virgine aqua ceteris corriuatis et emendatis, lacus 700. fecit, praeterea ſalientes 105, caſtella 130, complura etiam cultu magnifica. Etenim iſtis operibus ſigna 300. aenea et marmorea impoſuit, columnas ex marmoribus 400. eaque omnia annuo ſpatio perfecit *e*). Praeter Cenſores atque Aediles interdum etiam Quaeſtoribus aquarum tuendarum prouinciam obueniſſe Frontinus tradit V. C. 636. etiam Praetor a Senatu aquaeductus reficere extra ordinem iuſſus Q. Martius Rex, quem etiam nouam aquam adduxiſſe ſupra docuimus *f*).

Auguſtus V. C. 741. Curatorem aquarum conſtituit *g*), cui adiutores bini additi *h*), quos etiam ſub ſequentibus Imperatoribus manſiſſe, Frontinus et innumerae inſcriptiones oſtendunt *i*). Habuit autem Curator ille ſeruos publicos, lictores, ſcribas, librarios, accenſos, atque praecones. De officio Curatoris aquarum auctor claſſicus eſt Frontinus, ipſe Curator. Primum ipſi id negotii mandatum, vt curaret, ne quis ſine litteris Caeſaris, id eſt, ne quis aquam publicam non impetratam, et ne quis amplius quam impetrarat, duceret. Sollicite igitur ductus extra vrbem erant circumeundi ad cognoſcenda beneficia. Deinde in caſtellis et ſalientibus publicis curandum erat, vt ſine intermiſſione diebus noctibusque aqua flueret, et vt ſemper aqua limpida potui inſeruire poſſet. Denique omnia in aquaeductibus et caſtellis reficienda curare tenebatur, ad quod quibus hominibus vſus ſit, § antecedente vidimus. Poſteris temporibus Curator ille, quoniam ex conſularibus viris creabatur, Conſularis aquarum dictus *k*), et ſexto demum ſeculo, forſan etiam prius Comes Formarum appellatus eſt *l*).

Verum vt vnde exorſa eſt, eo et concludatur noſtra de aquaeductibus breuis tractatio, Plinii verba mea faciam, quae ita ſe habent. "Si quis diligentius aeſtimauerit aquarum abundantiam in publico, balneis, piſcinis, domibus, euripis, hortis, ſuburbanis villis, ſpatioque aduenientium exſtructos arcus, montes perfoſſos, conualles aequatas, fatebitur, nihil magis mirandum (fuiſſe) in toto orbe terrarum." *m*)

CAP. III.

e) Plin. 36. 24. Non poſſum hic non repetere ad hunc locum Lipſii verba: "Tales, tales ſint Vobis, o magni reges, conſiliarii atque miniſtri, qui opibus per Vos aucti eas in publicum refundant et gratiam gloriamque ſimul operibus ſuis apud poſteros imperii veſtri propagent!" Quodſi autem ciuium commoditati proſpexiſſe iam tanta laus eſt, quanta gloria eſſe debet eorum, qui aut ea inſtituerunt, quibus vita humana litteris atque artibus excoleretur, aut qui talia inſtituta augent, ornant ornarentque?

f) Plin. l. cit.

g) Sueton. in Aug. c. 30.

h) Frontin. art. 99.

i) Gruteri Corpus Inſcrippt. p. 178. 6. 354. 1. 381. 1, et 3. 431. 4. 483. 3. &c.

k) Pancirollus ad notit. Imperii c. 7.

l) Caſſiodor. Var. Epp. VII. 6.

m) Plin. 36. 24.

CAP. III. SECT. III.

De cura balneorum atque de diuerſoriis.

§. 78.

De balneis publicis atque de Thermis.

Inter commoditates Vrbis praecipuas balnea publica merito ſunt referenda, quippe quae tam per coeli plagam calidiorem, quam Romanorum cultu veſtiendique more valde neceſſaria erant, poſteriori vero tempore maximae luxuriae occaſionem praebuere. Balnea erant loca, vbi homines lauabantur, priſci quidem praeſertim abſtergendarum ſordium cauſa, quas Romani partim quia nudis pedibus ſoleas tantum ſubligabant *n*), partim quia linteo nondum vtebantur, frequentes ſudore contrahebant, poſtea vero inprimis voluptatis gratia. Prima Romae balnea priuatorum opulentiorum erant, pauperes in Tiberi aut in piſcinis lauabantur, poſtea vero etiam publicata ſunt. Verum enimuero quo tempore hoc ſit factum, certo definire non licet. Vulgo quidem balnea publicis vſibus deſtinata ab Agrippa demum ferunt, qui per Aedilitatis annum 170. *βαλανεια προικα δι ετους και τοις ανδρασι και ταις γυναιξι λουεσθαι παρεσχε o*). Verum iſti homines publica balnea cum iis confundunt, in quibus gratis lauabantur. Seneca autem iam V. C. 553. balnea publicata fuiſſe ſtatuit *p*). Certe Auguſti temporibus publicorum iam ingens numerus exſtitit, qui tamen ſub eius ſucceſſoribus in tantum auctus eſt, vt Victoris tempore ad 856. vel ſi Panuinio fides, ſupra 900. exſurrexerit.

Thermae ſeu aquarum calidarum balineae, vt vulgo quidem fertur, a Maecenate *q*), certe ſub primis imperatoribus inuentae. Verum nonniſi principum opera Thermae fuiſſe videntur; ſaltem priuatorum Thermae in cenſum non veniebant. Inter iſtas autem ſpectatiores fuerunt Thermae Neronis, quae poſtea Alexandrinae dictae, Veſpaſiani, Titi, Domitiani, Hadriani, Antonini, Commodi, Seueri, Gordiani, Philippi, Decii, Aureliani, Taciti, Diocletiani, aliorumque, quas ſola fere nominis inſcriptione ſibi ſeruata populo vtendas publicauerunt. Internam earum diſpoſitionem hoc loco deſcribere, a propoſito noſtro alieniſſimum eſſet. Qui talem deſcriptionem cupiunt, iis adeundus Andreas Baccius de Thermis, Olaus Borrichius in Antiqua Romae facie T. IV. Theſ. Graev. p. 1597. Adler in Beſchreibung von Rom p. 94. Ibidem et Balneorum Laconicorum fit mentio, quae quidem ſummae luxuriae inuenta dedit, de qua audiendus praecipue Seneca Ep. 86. cf. Scriptores de Luxu Romanorum, Kobierzykium atque Meurſium.

§. 79.

n) Seneca Epiſt. 86: priſcos, ait, brachia tantum et crura quotidie abluiſſe, quae ſcilicet ſordes opere colligerent, ceterum totos nundinis eſſe lauatos.

o) Dio 49. 43.

p) Loc. cit.

q) Dio 55. 7.

§. 79.

De balnearum disciplina.

Qui balnea lauandi causa intrabant, singuli pro hora integra quadrantem soluere tenebantur r), vnde quadrantariam rem Balnea vocat Seneca. Interdum etiam Aediles ad conciliandum populi fauorem balnea conducebant, vt his gratis lauarentur. M. Agrippam gratuita balnea populo praebuisse iam vidimus, idemque moriens balneum suum populo legauit. Pari modo Diuus Antoninus ob popularem gratiam balneum sine mercede exhibuit. Alexander Seuerus autem ex omnium artium seu opificiorum vectigali instituto Thermas et quas ipse fundauerat, et superiores populi vsibus iussit exhiberi. Lamprid. in Seuero. c. 24. Balnea publ. apud maiores nocte aut ante auroram nulli patuere sed a primis tenebris ad auroram clausa fuerunt, siquidem omnino noctu lauare interdictum erat. Hadrianus ante octauam, nisi valetudine laboraret, publicis balneis, vbi tempus lauandi maxime a meridiano ad vesperam constitutum, teste Vitruuio, erat s), neminem admisit t). Postea Alexander Seuerus, ne quid populo incommodaretur, balnea etiam nocturna concessit, oleo pro luminibus praebito. Ceterum illud notabile est, quod tintinnabulo ex gymnasio lauaturi reuocabantur ad Thermas paulo post claudendas, adeoque monebantur, vt si lauari vellent, sonante tintinnabulo lauari properarent u).

Olim omnia in balneis summa modestia agebantur, erant pro sexibus lauacra separata, neque puberes cum patribus, neque generi cum soceris lauabantur. Postea vero cum modestiam luxus fugasset, balnea viris aeque ac mulieribus promiscua fuerunt. Itaque Hadrianus lauacra pro sexibus separauit, vetuitque, ne mulieres cum viris lauarentur x). Cum pessima illa mixtim lauandi consuetudo renasceretur, iterum Marci Antonini y) et Alexandri Seueri z) constitutionibus fuit abrogata.

§. 80.

De cura balneorum.

Balinearum curam iam antiquitus Aedilibus fuisse iniunctam luculenter declarat Seneca Epist. 86. vnde locum classicum apponere non dubito: "Dii boni, inquit, quam iuuabat illa balnea intrare obscura et gregali (idest, vulgari ex calce, non marmore et crustis) tectorio inducta, quae scires *Catonem* tibi

r) Horat. Sat. I. 3. "dum Tu quadrante lauatum — Rex ibis; et Iuuenal Sat. VI. 2. caedere Syluano porcum, quadrante lauari.

s) Vitruv. IV. 10.

t) Spartian. in Hadriano c. 22.

u) Vid. Martialis Scholiasten ad illud: Sonat aes Thermarum Epigr. XIV. 163. Domitium.

x) Spartian. in Hadrian. 18. Dio 69. 8.

y) Capitolin. c. 23.

z) Lamprid. c. 24.

tibi Aedilem aut Fabium Maximum aut ex Corneliis aliquem manu ſua temperaſſe? Nam *hoc quoque nobiliſſimi Aediles fungebantur officio, intrandi ea loca, quae populum receptabant exigendique munditias et vtilem et ſalubrem temperaturam*, non hanc, quae nuper inuenta eſt, ſimilis incendio." Balnearum curam apud Aediles etiam ſub Imperatoribus manſiſſe ex Plutarcho diſcimus, cuius locum, et alia de cauſa notabilem, huc tranſcribere non grauabor: "Ignis ex olea, inquit, inimicus eſt balneis et tabulata ac fornices funditus labefactat. Ideo periti Aediles non permittunt, balnearum redemtoribus, ignibus oleagineis vti, ſicuti nec lolium coniicere in ignem et herbam." *a*) Habemus igitur hoc loco balinearum redemtores, itaque locatae ſunt priuatis certo vectigali impoſito. Ceterum balneis, quae publice lauarent, priuilegium antiquitus conceſſum fuit, vt ſemel data aqua maneret, quod ex veteribus SCtis ſe cognouiſſe refert Frontinus (art. 107); poſtea vero cum quouis redemtore aquarum beneficium inſtauratum. Sub Imperatoribus etiam Praefectus Vrbi praeerat balneis eorumque mancipibus, quorum munus erat, vrenda lauacris ligna comportare et lauacrorum exhibitioni praeeſſe. Aduerſus capſarios, qui mercede ſeruanda in balneis veſtimenta ſuſcipiebant, iudex conſtitutus erat Praefectus Vigilum, vt ſi quid in veſtimentis ſeruandis fraudulenter admiſiſſent, ipſe cognoſceret *b*).

§. 81.
De diuerſoriis.

Diuerſoriorum vſum Romae in tanto hominum confluxu inprimis neceſſarium fuiſſe, nemo quidem dubitare poteſt. Itaque Diuerſoria meritoria, etiam hoſpitii vſu adhuc florente, inſtituta atque recepta; ad quae viatoribus atque peregrinis quibuſuis aditus patuit, vt ibi cibo, potu, quiete reficerentur, quin et per aliquod tempus commorari poſſent. Tabernarum autem diuerſoriarum, cauponarum, popinarumque pro peregrinorum frequentia magna in Vrbe copia exſtitit. Olim in iſtis locis omnia cibaria et cocta vendere licuit, quod tamen ius Imperatorum edictis ſi non plane ſublatum, valde tamen fuit limitatum. Tiberius enim primis imperii annis Aedilibus negotium dedit "popinas ganeasque vsque eo inhibendi, vt ne opera quidem piſtoria proponi venalia ſinerent." Sueton. in Tib. c. 34. Claudius Imperator V. C. 794. p. C. N. 43. tabernas, quo potandi cauſa commeabant, demolitus eſt edixitque: ne quis carnem elixam aut aquam calidam venderet *c*), de quo iam ſub Tiberio cautum fuiſſe videtur. Nero autem interdixit: ne quid in popina cocti, praeter legumina et olera, vaeniret *d*). Etiam Veſpa-

a) Quaeſtion. Nat. L. IV. c. 10. Notabile hoc videtur ad phyſicam et hiſtoriam naturalem, verum vtrum illa obſeruatio etiam aliunde ſit obuia aut confirmata, Veſtrum eſt, Viri Ill. iudicare.

b) D. I. tit. 15. l. 3. §. 5. et L. 47. tit. 17. de furibus balnear.

c) Dio 60. 6.

d) Sueton. in Neron. c. 16.

Vespasianus, teste Dione *e*), in popinis, praeter legumina, nihil cocti vendere passus est, et apud Ammianum Marcellinum *f*) Ampelius, Praefectus vrbi, prohibuit, ne aquam vulgarium calefaceret quisquam *g*). Ceterum cum iam antiquitus Aediles fungerentur officio, intrandi ea loca, quae populum receptarent, aut in quibus aliquid venum prostaret, extra omne dubium positum est, etiam Tabernas diuersorias, cauponas, popinas, ganeasque illorum curae sub republica fuisse mandatas. Idem autem officium etiam sub primis Imperatoribus illis mansisse ex Suetonio ad marginem laudato apparet. Claudius Imp. popinarum coercitionem Aedilibus ademit, relegato etiam Senatore, qui in Aedilitate inquilinos praediorum suorum contra vetitum cocta vendentes multasset, villicumque interuenientem flagellasset *h*); postea vero sine dubio Aedilibus restituta est illa potestas. Seriori aeuo etiam Praefecti Vrbi in iis locis, de quibus hic egimus, aliquam curam fuisse ex Ammiano Marcellino l. c. videtur, qualis autem illa, quantaue fuerit, definire non ausim.

CAP. III. SECT. IV.

De temporis publica significatione.

§. 82.

In adumbrandis Romanorum, quibus ciuium commoditati prospectum iuerunt, institutis, nequaquam omittenda nobis videtur ea pars politiae Vrbis, vnde olim Germanorum ille Imperator ad omnem vrbis politiam recte colligi posse nullus dubitauit; publicam innuo temporis significationem, quae plerumque horologiis publice institutis effecta est. Diu autem Roma horologiorum, ad quae apud prudentes pleraque vitae officia distribuuntur, commodo caruit. Romam enim a primis inde temporibus vsque ad primum punicum bellum nonnisi ortus et occasus dierum, postea vero etiam meridiem notarunt. Inde vsque ad bellum punicum seruatum est, vt accensus Consulum meridiem per Vrbem pronunciaret, quod praecipue patet ex Boeotia a Varrone adducta quam Comoediam Aelii esse voluerunt, hoc versu:

vbi primum accensus clamarit meridiem &c.

postea et horam tertiam esse, magistratuum accensi monuerunt. Princeps autem Romanis horologium solarium seu sciotericon, ante XII. annos, quam cum

e) Dio 66. 10.

f) L. 28. c. 24.

g) De aqua calida, Romanis in deliciis, vid. Vicentius Butius de calido, frigido et temperato antiquorum potu; Freinshemius in distrib. de calidae potu et G. Christian. Gebauer in libro de eod. argumento. Lips. 1721. 8.

h) Sueton. in Claud. c. 38.

cum Pyrrho bellatum est, ad aedem Quirini statuisse L. Papirius Cursor a Fabio Vestali narratur *i*). Varro autem primum statutum in publico secundum Rostra in columna tradit bello punico primo a Valerio Messala Consule, capta Catana in Sicilia, vnde deportatum Romam. V. C. 476. Etsi vero hoc non congruebat ad horas meridiani Vrbis, nihilominus ei annis inde C. Romani paruerunt, donec Q. Marcius Philippus, qui cum Lucio Paulo Censor fuit, aliud diligentius ordinatum iuxta posuit, quod munus inter Censoria opera gratissime fuit acceptum. Verum tum etiam tempore nubilo incertae fuerunt horae, donec Scipio Nasica primus aquae horologio, quod clepsydram Graeci vocant, horas noctium atque dierum certa ratione diuisit, idque horologium V. C. 595. sub tecto dedicauit *k*). Ex eo praesertim tempore domini seruos in forum miserunt, vt, quaenam hora esset, explorarent. Postea horarum rationem variis solaribus et vmbra sua ostenderunt Obelisci *l*); et Scioterica, teste Varrone, Basilicis ornamento fuerunt. Existimarunt quidem nonnulli, Luciani aeuo diei noctisque horas tintinnabuli maioris sono fuisse distinctas, verum de hac re, an vere ita se habuerit, valde dubitatum est, certe apud Plinium et Vitruuium, vbi de horologiis agunt, altum eius rei silentium, etsi in thermis tintinnabulorum vsum receptum iam supra vidimus.

CAPVT IV.

De ornamentis Vrbis.

§. 83.

Restat nunc iam quartum et vltimum commentationis caput, de ornamentis Vrbis inscriptum, quo quidem ea complectimur opera publica et instituta, quae, ad commoditates Vrbis etsi proxime non spectent, oculis tamen iucunda adspectu ad cultum Vrbis externum pertinent, quo fit, vt tam ciues, quam peregrini libentius in ea commorentur, his autem magna aliqua opulentiae sensusque pulchri, quibus ciues polleant, opinio ex Vrbis adspectu oriatur. Liceat autem hoc loco paucis adnotare, quomodo temporum successu, quatuor illae politiae partes sensim sensimque ortae sint. Initio quidem satis habuerunt, si a maximis tantummodo periculis vitam suam bonaque possent tueri; inde primum *Securitati Vrbis* legibus atque institutis consultum, communia autem, quae ab hostibus externis imminerent, pericula ciues ipsos tranquil-

i) Plin. H. N. VII. 60.

k) Plin. VII. 60.

l) De Augusti Obelisco in Campo Martio erecto de quo Plin. 36. 15. consulendus, vid. Bandinius de Obelisco Caes. Augusti nuper eruto 1750. et ibi Boscouich in Epp.

tranquillos adhuc et inter ſe vnanimos reddiderunt. Deinde vero finitimis ſubactis imperiique finibus prolatis cum *tranquillitas* etiam ſollicitari coepiſſet, *iſtius quoque cura* publice fuit habenda. Poſtero tempore opibus aucti cultuque etiam progreſſi non ſecuritatem ſolum tranquillitatemque procurare, ſed etiam *Commoditates* Vrbi conciliare tuerique ſunt agreſſi, immo ad poſtremum *Ornamenta* etiam eorumque curam adiecerunt. Vrbis autem ornamenta praecipue quidem cernuntur in aedificiis publicis artisque operibus publicatis, quae ſplendorem decoremque Vrbi adferunt, verum etiam in priuatorum aedificiis; certe politiae curandum, vt munda ſint, neque ruinis triſtem reddant Vrbis adſpectum. Primum igitur *de aedificiis aliisque operibus publicis*, poſtea *de priuatis* erit nobis dicendum.

§. 84.

Hiſtoria Vrbis operibus publicis ornatae.

Priſcos Quirites maioribus rebus ac magis neceſſariis intentos atque occupatos pulchritudinis Vrbi conciliandae nullam ſuſcepiſſe cogitationem et rerum natura et auctorum teſtimonia docent *m*). Primum tamen Vrbis operibus publicis exornandae initium iam a Rege Tarquinio Priſco factum, qui diuiſis circa forum aedificandis locis porticus tabernasque feciſſe *n*), immo ſi Dionyſium audias (de cuius tamen fide iam inter nos conſtat) alia etiam Vrbis ornamenta adieciſſe traditur. Poſtea Aediles ex frumentariorum, foeneratorum, pecuariorum, quibus diem dixerunt, bonis multatis varia Vrbi addiderunt ornamenta *o*). Plerumque tamen ex manubiis, quarum decima pars aerario erat inferenda, aedificia publica ſunt exſtructa, quae decus Vrbi ornatumque poſſent adferre. Praecipue autem Graecarum ciuitatum cultu cognito Romani de ſua Vrbe exornanda diligentius cogitarunt, quod factum primum eſt V. C. 542. Syracuſis a Marcello captis. In hac enim vrbe non ſolum magnificentiſſima opera publica atque aedificia admirandi Romanis occaſio fuit, ſed Marcellus etiam vrbis ornamenta, quibus abundarent Syracuſae, Romam transuexit. Poſteriores duces id factum imitati talia complura ex vrbibus expugnatis ſecum Romam duxerunt. Hinc illa licentia, ſacra profanaque omnia Graecorum vulgo ſpoliandi, *hinc Graeci architecti*, aliique artifices Romam aduecti, quorum operibus Vrbs ornaretur V. C. 573. annuum vectigal Cenſoribus decretum, quo ad opera publica vterentur *p*). Interdum etiam ciues opulentiores auram popularem captantes, aut priuati aut magiſtratus gerentes, ex ſua pecunia opera publica eduxerunt.

 Verum

m) Strabo L. V. c. 21. οἱ παλαιοι μεν του καλλους της Ρωμης ολιγωρουν, προς αλλοις μειζοσι και αναγκαιοτεροις οντες.

n) Liv. I. 35.

o) Liv. 10. 23. 33. 42. et alibi.

p) Liv. 40. 46.

Verum super omnes, qui magnificis operibus Vrbem exornarunt, Augustus eminet, qui Vrbis, neque pro maiestate imperii satis ornatae incendiisque et inundationibus obnoxiae, faciem per imperii sui tempora adeo in melius mutauit atque excoluit, vt iure sit gloriatus, marmoream se reliquisse, cum lateritiam accepisset *q*). Ipse enim non contentus aedificiis exstruendis aut veteribus reficiendis ceteros quoque principes viros adhortatus est, vt pro facultate quisque monumentis vel nouis vel refectis et excultis vrbem exornarent *r*). Sub incendii quidem Neronei cineribus pleraque Vrbis ornamenta fuerunt sepulta; mox vero nouus tantusque in Vrbe decor fundatus, vt ideo tantum consumta videri Romanis potuerit, vt in melius excitaretur. Sequentium Imperatorum quisque, vt erat gloriae cupidior, ita magnificis splendidis sumtuosisque operibus Vrbem ornauit, adeo vt seriori aeuo satis habendum esset, antiqua reficere, neque de nouis excitandis iam adeo essent solliciti.

§. 85.

De spatii, cui Vrbs inaedificata fuit, distinctione.

Post Gallicum incendium, altius enim historiae monumenta repetere non licet, cum ex cineribus suis Vrbs aegre exsurgeret, promiscue fuit illa aedificata, id est, aedificia Vrbis nulla omnino distinctione et quia vicos dirigendi curam festinatio eximeret, passim erecta *s*). Inde Vrbis viarum illae angustiae, vicorum flexurae, errores atque Maeandri, quos neque Augustus, cum iam egregiis operibus Vrbs esset ornata, tollere potuit; "inde forma Vrbis occupatae magis quam diuisae similis fuit *t*)," aedificiorum autem altitudine obscura et vmbris proiectis paene caliginosa. Neronem igitur illius adspectu offensum, nouae vrbis conditae et melius ordinatae gloriam incendio quaesiuisse, vt erat eius temeritas atque furor, non adeo a vero alienum arbitror *u*). Post incendium autem clara pulchritudine Vrbs resurrexit "*dimensis vicorum ordinibus, latis viarum spatiis, patefactis areis,*" *x*) seu interuallis largis, spatiosis, puris, quibus vici distinguerentur. In aditu autem atque introitu arearum aedificia publica tum sacra, tum profana ita erant exstructa, vt eorum frontes obuersae essent viis, quas splendore suo ac magnifico architecturae apparatu huiusque ornamentis illustrarent, omnibus autem, qui ad Vrbem concurrerent, stupore moto populi Romani maiestatem ex opulentia intuentium animis alte imprimerent. Quodsi vero ornamentorum et, in quibus ornamentorum longe maxima pars posita erat, operum publicorum tutelam quodam modo adumbrare iubeor, pauca de his, quaenam qualiaque fuerint, videntur praemittenda, etsi plena eorum descriptio hic exspectari non potest.

§. 86.

q) Sueton. in Aug. c. 29.
r) Ibid.
s) Tacit. Ann. XV. 43. Liv. V. 55.
t) Ibid.
u) Sueton. in Ner. 38.
x) Tacit. l. c.

§. 86.

Operum publicorum, quae ad Vrbis decus faciebant, generalis Recensio.

Inter opera publica, in quibus ornatus ciuitatis decusque constitit, primum refero Deorum immortalium *templa*, sub quorum nomine omnia complector aedificia sacra, quorum infinita Romae copia exstitit, quaeque aut aedes, aut aediculae, aut fana, delubra, sacraria, sacella sunt appellata. Primis Romae temporibus templa nihil minus, quam magnifica et splendida, Iouis templum in Capitolio angustum et humile fuit *y*). Postquam opes crenere, creuerunt et aedificia sacra, donec sub Imperatoribus ad summum maiestatis fastigium splendoremque, non structura solum magnifica sed et artis operibus pretiosissimis adiectis peruenerunt.

Magnificentissimae Vrbis Romae partes aut, si mauis, opera publica maxima fuerunt *Fora*, pulcherrimis aedificiis, statuarumque copia infinita exornata. Praecipua eorum ornamenta fuerunt aedificia publica, Templa, Curiae, Basilicae. Curiarum duo genera fuisse Varro et Festus docent, vnum, in quo sacerdotes res diuinas, sacra cultusque Deorum curarunt, alterum in quo Senatus habitus est. Celebrantur inprimis Curia Hostilia seu Vetus, Calabra, Pompeii, Iulia. Basilicae erant aedificia ampla et ornatissima, ita exstructa, vt in altera parte iudicia, in altera vero negotia mercatorum aliorumque possent exerceri. V. C. 564. M. Porcius Cato Censor primam in foro antiquo aedificauit, quae Porcia est appellata *z*); paulo post accessit Sempronia *a*), et multo post Opimia, Aemilii, Iulia, Pauli, Phrygibus columnis insignita, Caii et Lucii ab Augusto eorum nomine conditae, Pompeii sub theatro adnexa, Traiani in foro proprio et aliae. Fora autem praecipua fuerunt *Romanum* seu *Vetus*, *Boarium*, *Olitorium*, *Piscatorium*, *Cupedinis*, *Transitorium* a Domitiano factum postea Neruae dictum, et ab Alexandro Seuero eximie ornatum "statuis colosseis, pedestribus vel equestribus Diuis Imperatoribus locatis cum titulis et columnis aereis, quae gestorum ordinem continerent;" *b*) *Pistorium*, *Palladium*, *Suarium* et alia; inprimis vero celebrantur *Forum Iulium* et *Augusti*, in cuius porticibus "statuae ducum Romanorum, triumphali effigie, additis gestis, ex marmore spectatae, vt in posteris imitationem virtutis accenderent." *c*) *Vlpio* vero siue *Traiano* nihil fere in tota vrbe splendidius. In hoc foro M. Antoninus locauit statuas nobilium ducum, quos bellum Germanicum

y) Egregie haec Ouidius expressit in Fast. I. 198 sq.
Dum populus pauper, dum noua Roma fuit
Dum casa martigenam capiebat parua Quirinum,
Iupiter angusta vix totus stebat in aede
Inque Iouis dextra fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant, quae nunc Capitolia gemmis,

z) Liv. 39. 44.

a) Liv. 44. 16.

b) Lamprid. in Alexandro.

c) Sueton. in Aug. 31.

manicum consumserat, Alexander plures addidit summorum virorum. Ceterum forum Romanum olim, cum thensae ducerentur, id est, in ludis Circensibus, tabulis signis atque statuis adornari solitum *d*), quin et lucernis instructum, vt ex fragmento Lucilii apud Nonium colligitur.

Inter ornamenta Vrbis primaria referenda sunt etiam loca ludis dicata, *Campi* primum, in his praesertim *Martius*, splendido apparatu, multisque ornamentis insignis; *Circi*, praecipue *maximus* et *Flaminius e*); *Theatra*, quae temporalia primum et lignea fuisse Plinius *f*), et multa quotannis facta Vitruuius *g*) docent. Primum perpetuum et stabile Pompeius condidit *h*). Augusti tempore tria Romae fuerunt, *Pompeii*, *Marcelli* et *Balbi*; Imperatores sequentes plura exstruxerunt, quae et Vrbem et imperium honestarent, de quibus videatur Andr. Fuluius Sabinus de Vrbis antiquitate IV, 2. *Amphitheatra* a Theatris in eo differebant, quod haec in hemicycli formam constructa fuerint, addita scena ad ludos dramaticos; amphitheatra vero in formam cycli exstructa ad gladiatorios praecipue ludos vndequaque sedes habuerint. Laudantur praecipue *Statilii Tauri i*) et *Flauium* seu *Vespasiani k*), cuius fere demoliti ruinas etiamnum tantopere demirantur.

Neque omittenda in ornamentorum Vrbis recensu dedicata commodis et sanitati ciuium aedificia, Aquaeductus, cum puteis et salientibus publicis, Thermae, Balineae, quorum magnifica celebratur structura, neque arcus triumphales, ante diem triumpho praestitutum a Senatu exstrui soliti et a triumphantium nominibus dicti; qui, veluti victoriae perpetuum monumentum erectum in Vrbe, hostes fusos loquebantur; neque horti publici Agrippae *l*) et Caesaris *m*), quos morientes ciuitati et populo publice legauerunt, plurimique priuatorum, magnificentia et arte conspicui, vt celeberrimos laudem, Pompeiani, Lucullani, Maecenatiani, Asiniani, Sallustiani aliique. Omnibus vero publicis operibus maximum decorem maiestatemque Vrbi attulerunt porticus aedificiis publicis atque priuatis annexae et summa cum magnificentia marmoreis columnis centenis saepe et pluribus exstructae, priuatis aedificiis a Nerone additae suoque sumtu fabricatae *n*).

§. 87.

De statuis, signis et tabulis.

Statuae iam antiquissimis Vrbis temporibus iis, qui bene de ciuibus meruissent, in publico positae. Primum nonnisi populi aut patrum decreto id

d) Liv. 9. 40.
e) Idem 30. 38.
f) L. 36. 15.
g) L. V. 5.
h) Tacit. Ann. XIV. 20. etsi iam antea *stabile* theatrum fuisse Liuius innuere videatur. L. 40. 51.
i) Sueton. in Aug. 29.
k) Sueton. in Vespas. c. 9.
l) Dio 54 29.
m) Dio 43. 35. Tacit. Annal. II. 41. et Sueton. in Caes. 83.
n) Idem XV. 43.

id factum, postea etiam priuatim ponere sibi sumserunt. Sexto ab V. C. saeculo statuarum ponendarum licentia tanta fuit vsurpata, vt a Censoribus non solum coerceri et inhiberi, verum et multae statuae iam positae tolli debuerint. Ita V. C. 596. a Censoribus P. Cornelio Scipione, M Popilio statuas circa forum, eorum qui magistratus gesserant, sublatas omnes, praeter eas, quae populi aut Senatus sententia statutae essent, ex L. Pisone Plinius tradidit *o*). At Censoria haec seueritas haud diu durauit. M. Porcius Cato in Censura est vociferatus, "mulieribus Romanis in prouinciis statuas poni, nec tamen potuit inhibere, quo minus Romae quoque ponerentur." *p*) Sub primis imperatoribus tanta statuarum copia erat, vt Vrbem vias vicosque non ornarent, sed stiparent et arctarent. Non enim in Vrbe solum plurimae statuae erant factae, sed multo maior copia aliunde aduecta. Omnes enim duces ex deuictis gentibus correptas Romam duxerant, vt ibi in triumpho ostenderent. Ita Mummius deuicta Achaia statuis Vrbem impleuerat, Aemilius vero Paulus in triumpho de Perseo debellato, 250. bigis statuas captiuas, tabulas pictas et Colossos in Vrbem duxerat, multa etiam Luculli, multa alii inuexerant *q*). Ita vrbs statuis erat repleta, neque tamen ardor ille et affectatio statuarum inter Romanos deferbuit, sed ipsis Imperatorum edictis fuit reprimenda. Itaque Caius Imperator, statuis virorum illustrium, quae ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in Martium campum erant collatae, subuersis atque disiectis, "vetuit posthac viuentium cuiquam vsquam statuam aut imaginem, nisi consulto se et auctore, poni." *r*) Claudius plerasque iam positas loco mouit et alio transtulit edixitque: ne quis in posterum priuatus poneret, nisi Senatus permissu, excepto, si quod opus publicum faceret reficeretue *s*). Nihilominus incredibilis statuarum numerus etiam posteris temporibus in Vrbe mansit, adeo vt ad eorum adspectum obstupuisse Constantinum Marcellinus tradat, et sexto adhuc seculo, "populum statuarum copiosissimum, greges etiam abundantissimos equorum" in Vrbe tuendos Cassiodorus collaudet *t*).

Etiam tabulae pictae, quas principio vnicum aedificiorum ornatum et extra et intus fuisse Plinius perhibet, in publico, vbi commode et tuto aduersus aeris, pluuiae et hiemis iniurias collocari poterant, adeoque in porticibus potissimum sunt dicatae atque dispositae *u*). Iterum ab exteris nationibus reportatae et in Vrbe vulgo positae primum earum studium Romanis accenderunt. Magnam inprimis copiam ex Syracusis Romam Marcellus deuexit, postea

o) XXXIV. 7.
p) Plin. ibidem c. 6.
q) Plin. Hist. N. 34. 7.
r) Sueton. in Caio. c. 34.
s) Dio apud Xiphilin. in l. vlt.
t) Cassiodor. Var. Epp. VII. 14.
u) Plin. H. N. 36. 1.

postea alii eius exemplum secuti ex omnibus vrbibus expugnatis vna cum statuis et signis infinitam tabularum multitudinem Romam apportarunt. Verum et alia ratione Graecarum ciuitatum ornatus Vrbi accessisse, eius quidem rei nobile exemplum Plinius memoriae prodidit: "Tabulas, inquit, Sicyone e publico omnes propter aes alienum ciuitatis addictas, Aedilitas M. Scauri Romam transtulit *x*)." Auctus ibi tabularum publicatarum numerus est more Romanis consueto, vt scilicet captarum vrbium atque terrarum imagines publice in foro dicarent. Ita L. Hostilius Mancinus, qui primus Carthaginem irruperat, situm eius, expugnationesque depictas in foro proposuit *y*). Sed praecipuam auctoritatem fecit publice tabulis Caesar Dictator et post eum M. Agrippa, cuius Plinii adhuc tempore oratio exstitit magnifica "de tabulis signisque publicandis, quod fieri satius fuisset, quam in villarum exilia pelli." *z*)

§. 88.

De operum publicorum tutela.

Quod ad operum publicorum tutelam spectat, eius quidem adumbratione duplici ex ratione paucis defungi licet. Primum enim plura, quae ad illam faciunt, inprimis curam incendiorum, inundationum, ruinarumque iam capite primo attulimus, de aquaeductuum autem, balinearum, porticuum, pontium tutela capite tertio, ibidemque §. 66. etiam de illa cura satis dictum est, ne loca publica, quae et ad commoditates et ad ornamenta pertinent, priuatis aedificiis occuparentur, superimposita vero destruerentur. Deinde vero apud veteres auctores de operibus publicis tuendis nonnisi rara habetur mentio. Quae enim huc spectent, leges memoria dignas, praeter seriorum Imperatorum edicta, nullas inuenio. His autem inprimis cauetur aut ne omnino opera noua, aut vt non dirutis aliis operibus excitentur, nisi ex permissu principis, contra vero vetera refici et inchoata compleri iubentur. Ita quidem Valens, Gratianus et Valentinianus AAA. circa P.C.N. 378. seuere prohibuerunt, "ne qui nouum opus volet in Vrbe moliri, id effossis nobilium operum substructionibus, rediuiuis de publico saxis, marmorum frustis spoliatarum aedium reformatione conuulsis, faciat." *a*) Et Arcadius cum Honorio circa P. C. N. 400. edixerunt: "ne quis ad noui aliquid operis inchoandum, vel ex diuersis operibus aeramen aut marmora aut quamlibet speciem, quae vel in vsu vel ornatu probabitur fuisse ciuitatis, deripere vel alio transferre audeat." *b*) Similiter Leo et Maiorianus circa 460. "aedes publicas et antiquas, quae propter vsum vel amoenitatem publicam olim surrexerant in Vrbe Roma, alterius publici operis causa dirui" vetuerunt *c*).

Ceterum

x) Plin. H. N. 35. 11.
y) Ibid. c. 3.
z) Ibid.

a) Cod. Theod. XIX. de operibus publ.
b) Cod. Theod. L. 37.
c) Nouell. L. 6. de aedif. publ.

Ceterum illud omnino eſt tenendum, operum publicorum curam, vt et noua excitarentur, et vetera ſarta tecta eſſent atque niterent, omnem illam per redemtores auctam eſſe, qui a magiſtratibus opera publica facienda et reficienda conducerent.

§. 89.

Operum publicorum Curatores.

Agmen illorum ducant *Aediles*, qui ab antiquiſſimis Vrbis temporibus operum publicorum maximam curam geſſiſſe, ab aedibus etiam publicis atque priuatis curandis nomen tuliſſe memorantur. Satis tamen mature operum publicorum, (certe praecipua) cura ab iis ad *Cenſores* tranſiit, "locorum publicorum ius priuatorumque habentes." *d*) Itaque iam V. C. 447. aedem, quam Conſul bello Samnitium vouerat, a Cenſore locatam et V. C. 548. ſarta tecta acriter et ſumma cum fide exacta Liv. 29, 37. legimus *e*). V. C. autem 573. annuum ipſis poſtulantibus, quo in opera publica vterentur, vectigal decretum eſt *f*). Eodem anno Cenſor M. Aemilius Lepidus "theatrum et proſcenium ad Apollinis, aedem Iouis in Capitolio columnasque circa poliendas albo locauit, et ab his columnis, quae incommode oppoſita videbantur, ſigna amouit, clypeosque de columnis et ſigna militaria affixa omnis generis demſit." *g*) V. C. 585. Cenſoribus ad opera publica facienda dimidium ex vectigalibus eius anni attributum ex SCto a Quaeſtoribus eſt. Inde illi reficienda locarunt, quae circa forum incendio erant conſumta *h*). Neque tamen ab operum publicorum cura Aediles interim remoti fuerunt. Nam praeterquam quod ſaepe ex pecunia mulctaticia opera publica exſtruxerunt *i*) et ornarunt *k*), ſaepius adhuc omnis operum publicorum cura ad illos rediit, poſteaquam a Mamerco Aemilio V. C. 321. quinquennalis antea Cenſura intra ſex menſium et anni ſpatium fuit coacta *l*). Sub finem reipublicae ſacrarum praecipue aedium curam Aedilibus fuiſſe mandatam, Cicero, ipſe Aedilis deſignatus declarat: "mihi, inquit, ſacrarum aedium procuratio, mihi tota Vrbs tuenda eſt commiſſa." in Verr. III, 14. Ceterum illius curae monumenta adhuc exſtant, quae in nummis gentium Romanorum paſſim occurrunt magnificae aedificiorum a maioribus conditorum ſtructurae. Praeter Aediles atque Cenſores laudantur et alii magiſtratus extra ordinem creati, quibus operum publicorum reficiendorum cura fuit iniuncta. Ita V. C. 540. Quinqueuiri muris turribusque reficiendis, et Triumuiri aedibus ſacris reſtaurandis, alii alio tempore ſunt creati *m*).

N 2 Inter

d) Liv. IV. 8.
e) Liv. 9. 43.
f) Idem 40. 46.
g) Ibid. c. 51.
h) Liv. 44. 16.
i) Liv. 10, 33. 24, 16. 33, 42. et al.
k) Liv. 35, 10. 27, 6. 30, 39. 38, 35.
l) Liv. 4. 24. et 9. 33.
m) Liv. 25. 7. Ne quis miretur, murorum Vrbis turriumque in commentatione nullam mentionem iniici, vix monendum puto, illa opera ad ſecuritatem externam adeoque ad politicen pertinere.

Inter noua, quae ab Augusto inuenta sunt officia, etiam operum publicorum curam Tranquillus refert *n*) et sane V. C. 741. *Curator operum publicorum* est constitutus, neque infrequens in lapideis monumentis titulus: Curator operum publicorum *o*), interdum et CVRator fartorum tectorum operum publicorum; sed nonnisi *quasi magistratus* illi sunt a Frontino vocati. Opera publica autem hoc loco intelligenda sunt templa, Theatra, Amphitheatra, Fora cum ornamentis, Basilicae, Curiae, Circi, Campi, Pontes, portae et alia, quae integra conseruare, collapsa restituere, aut noua redemtoribus locare facienda, Curatoris illius officium erat. Postea et *Curator operum maximorum p*), incertum, quo tempore est constitutus, sicut et illud vix satis accurate definire licet, quaenam sint opera inter maxima referenda. Certe Circum maximum, Fora, Campos, Martium praesertim, Flaminium et Viminalem, forsan et alia opera munda et integra seruanda videtur ille curasse, cetera vero superiori Curatori fuisse relicta.

Seriori aeuo, certe ante Notitiam imperii, quae circa 426. P. C. N. scripta est, duo alii quasi magistratus sunt adiecti, de quibus parum est, quod certi pronunciem. Alter *Tribunus rerum nitentium* dictus, cuius sollicitudo fuisse videtur, vt opera publica nullis sordibus vitiarentur, sed vt nitescerent; alter Curator statuarum appellatus, qui ne deuastarentur aut forte tollerentur, prospiceret. Additi huic apparitores aut milites, qui noctu vigilabant, obseruabantque, ne statuae aut laederentur aut auferrentur, earumque fures Curator puniebat. Sexto etiam P. C. N. seculo hunc mansisse ex Cassiodoro discimus. Comitem Romae is illum vocat et in Formula Comitiuae Romanae in hunc modum verba facit: "Si clausis domibus atque munitis insidiari solet nequissimum votum, quanto magis in Romana ciuitate videtur illici, qui in plateis pretiosum reperit, quod possit auferri? vbi sunt exposita, quae facere potuerunt diuitiae generales et labor mundi? Officium igitur tuum et milites consuetos noctibus potius inuigilare compelle; in die autem ciuitas se ipsa custodit." *q*) Omnes autem, quos modo commemoraui, curatores seriori aeuo Praefecto Vrbi erant subiecti atque subordinati, sicuti et calcis coctores vectoresque, quorum corpora ad calcem ex IV. regionibus suburbicariis in vsum operum publicorum farciendorum tegendorumque procurandam erant instituta, sub eiusdem dispositione erant.

§. 90.

n) Sueton. in Aug. 37.
o) Gruter. Inscr. p. 26. n. 3. 93. 1. 128. 2. 171, 7. &c. Reinesius Class. IX. 54.
p) Gruterus p. 431. 4.
q) Cassiod. Var. Epp. VII. 13. al. 14. et omnino de his Curatoribus vid. Pancirollus in Commentar. in Notitiam Imp.

§. 90.

De aedificiis priuatis, qualia diuersis temporibus in Vrbe fuerint conspecta?

Quodsi de ornamentis Vrbis ornatusque cura quaeritur, nequaquam sunt aedificia priuata negligenda, quae si sordida, si ruinis deformia adspectuque tristia sint, omnem fere ornatus, nitoris splendorisque publici effectum ex animo tollere atque delere, conceptamque de pulchritudine Vrbis opinionem quam maxime diminuere necesse est. Itaque de priuatis aedificiis ex historia Vrbis pauca repetam, postea, de illorum publica cura dissserturus. Primis Vrbis temporibus in humilibus casis luto ac stipula tectis sartisque Romani habitarunt. Regibus exactis Consulumque dignitate stabilita paulo quidem meliori artificio domos exstruxere, bellis vero semper occupati architecturae nullam operam dederunt. Ad haec quidem tempora Varronis verba spectare videntur: "Antiqui nostri domibus lateritiis, paululum modo, lapidibus suffundatis, vt humorem effugere possent, habitarunt." *r*) Postea vero cum imperii opibus auctis etiam priuatorum opes creuissent, tunc et priuata aedificia sunt amplificata et ex lapidibus educta. Septimo demum V.C. saeculo L. Crassus Censor peregrini marmoris vsum Romam primus transtulit, ad domum suam statuens columnas sex ex lapicidinis Hymettiis, cum in publico tales nondum fuissent. Inde vero grauiter a Censore collega est increpitus et a M. Bruto Venus Palatina (in Palatino enim domum habebat) vocatus *s*). Mox M. Scaurus in Aedilitate sua Romam aduehi curauit CCCLX. columnas marmoreas, ex quibus theatrum suum fecit temporarium; marmorisque vsus adeo Romae inualuit, vt iam V.C. 666. M. Lepidus limina ex marmore numidico in domo posuerit. Et hac quidem domo pulchrior eo anno Romae nulla fuit, at hercle intra annos XXXV. eadem centesimum locum non obtinuit; adeo domorum priuatarum magnificentia atque splendor tam breui temporis spatio accreuerant.

Sub primis imperatoribus in maximam altitudinem domos, etiam vsque ad viginti tabulata eduxerunt, quod malum iam sub republica Vrbem inuasisse, pluribus autem Imperatorum de modo aedificiorum edictis promulgatis cohibitum iam supra vidimus. Altero P. C. N. seculo etiam viridaria et nemora et piscinas supra aedificia Romanos habuisse ex Iure Romano discimus *t*). Inprimis vero ostiorum columnarumque insanum fere studium erat, vnde et publice cohibitum, imposito vectigali, si quis plura ostia, plures columnas, quam lex permitteret, haberet, quod quidem vectigal ad legem Iuliam sumtuariam, qua omnium fere impensarum numerus erat definitus, referendum esse an recte statuant Bosius, Popma *u*), Burmannus, de eo quidem alii iudicent. Ceterum quoties incendio facto etiam priuatorum aedificia

r) Cf. Plin. 35. 14.

s) Plin. 36. 3.

t) D. VIII. tit. 2. l. 13.

u) Ad Cic. ad Attic. XIII. 6.

ficia eſſent deleta ſemper vel certe plerumque meliore forma ornatioresque reſurrexerunt, quod de Neroneo incendio licet inprimis contendere *x*). Quo tempore autem Conſtantinus M. imperii ſedem Byzantium transtulit, priuatorum aedificiorum ſplendorem valde imminutum fuiſſe arbitror, gentes enim tum primariae Romam nouam transmigrarunt antiqua relicta.

§. 91.

De aedificiorum priuatorum cura publica.

In aedificiis priuatis illud maxime fuit curandum, ne illorum ruinis Vrbis adſpectus deformaretur. Et ad hanc quidem curam, praeter illa generalia, quae de incendiis, inundationibus atque ruinis a Romanis prouiſa capite primo diximus, primum certe ex Vlpiani ſententia ſpectat lex XII. Tabularum, quae neque ſoluere permiſit tignum furtiuum neque vindicare, ne ſub hoc praetextu aedes diruerentur, quam quidem legem ſuo tempore adhuc valuiſſe, Vlpianus teſtatur *y*). Poſſet etiam huc trahi poenae, qua ſub republica hoſtes patriae erant effecti, abolitio, etſi expreſſa lege, quantum ſcimus, nunquam rogata, aedium ſcilicet ſubuerſionis, cuius exempla Cicero collegit *z*). Sine dubio enim hac poena propterea abſtinuerunt, ne vrbs huiusmodi deſtructionibus aedificiorum deformaretur. Primis ſub Imperatoribus cum aedificandi ſtudium inter Romanos maxime vigeret, perpetuis, quae poſſeſſorum reuenditionibus aliisque rationibus ſaepiſſime mutatorum ſponte fierent ruinae *a*), triſtis ſaepe Vrbis adſpectus atque deformis eſt redditus. Praecipue autem promercii ſeu negotiationis cauſa plurima ſunt aedificia deſtructa et quae illis iuncta fuerant, ornamenta detracta. Inde V. C. 800. p. C. N. 49. nobile illud SCtum factum, quod ex tabula aenea, Herculani olim clauis parieti adfixa, apud Reineſium Claſſ. VII. n. 2. hic repetere non dubitamus:

CN. HOSIDIO. GETA. L. VAGELLIO. COS. X. CAL. OCTOB. SC.

Cum prouidentia optumi principis, tectis quoque Vrbis noſtrae et totius Italiae aeternitati proſpexerit, quibus ipſe non ſolum praecepto Auguſtiſſimo, ſed etiam exemplo ſuo prodeſſet, conueniretque felicitati ſaeculi inſtantis pro portione operum publicorum, etiam priuatorum cuſtodiae, deberentque abſtinere ſe omnes cruentiſſimo genere negotiationis, ne inimiciſſimam pace faciem inducere ruinis domum villarumque placere, ſi quis negotiandi cauſa emiſſet quod aedificium, vt diruendo plus acquireret, quam quanti emiſſet, tum duplam pecuniam qua mercatus eam rem eſſet, in AERArium inferri: vtique

x) Tacit. Annal. XV. 43.

y) D. 47. tit. 3. l. 1.

z) Orat. pro domo c. 38. de poena ipſa adeundus Dio in Fragm. Peireſc. XXXI. et Valer. Max. VI. 31.

a) *[illegible] συμπτώσεις* Strabo memorat L. V. c. 20. Nouus enim poſſeſſor emtam domum plerumque demoliebatur, vt ex animo ſuo atque conſilio de nouo exſtrueret.

vtique de eo nihilominus ad Senatum referretur; cumque aeque non oportere malo exemplo vendere, quam emerint, venditores quoque coercerentur, qui ſcientes dolo malo intra hanc Senatus voluntatem vendidiſſent, placere tales venditiones inritas fieri; ceterum teſtari Senatum dominio conſtitui, qui rerum ſuarum poſſeſſores futuri aliquas partes earum mutauerint, dum non negotiationis cauſa id factum cenſuerint. In Senatu adfuerunt CCCLXXXIII.

Eadem lex Veſpaſiani edicto repetita *b*) et Spartiano quidem teſte *c*) etiam ab Adriano; excepti tamen Papiniani tempore Imperatorum conſtitutionibus illi fuerunt, et detrahere ex aedibus ſuis ruſticis atque vrbanis, qui ad opus publicum, quod reipublicae promiſerant, detractis vterentur *d*). Verum non ſatis habuerunt Imperatores prohibere, ne ruinae temere fierent, verum etiam vt aedes collapſae aut quocunque modo deſtructae ſtatim reſtituerentur, curarunt. Itaque Veſpaſianus, cum deformis Vrbs veteribus incendiis atque ruinis eſſet, vacuas areas occupare et aedificare, ſi poſſeſſores ceſſarent, cuique permiſit *e*). Nec non Adrianum dominium dediſſe inſtauratori ſtatim, Diuum Marcum vero a quatuor menſibus Victor memoriae prodidit. V.C. 874. p.Ch.N. 123. anno quinto imperii Adriani SCtum factum: ne ea, quae aedibus eſſent coniuncta, legarentur *f*), quod de aedificiorum praecipue ornamentis intelligendum puto. Ceterum "de alia domo in aliam quaedam transferre licere, ſed non ita vt integris aedificiis depoſitis publicus deformetur adſpectus" P.C.N. 223. Alexander reſcripſit *g*). Conſtantinus denique V.C. 321. Elpidio, agenti vicem Praefecti praetorio ita reſcripſit: Si quis poſt hanc legem ciuitate ſpoliata, ornatum (h. e. marmora vel columnas) ad rura transtulerit, priuetur ea poſſeſſione, quam ita ornauerit *h*).

Aedificiorum priuatorum curam, ſi quidem reipublicae tempore aliquam publice habitam ſtatuas, apud Aediles atque Cenſores illam fuiſſe ſuſpicor, apud auctores enim nihil de illa reperio. Sub Imperatoribus Curatores regionum et Vicomagiſtros aedium priuatarum curam aliquam geſſiſſe, veriſimile tantum videtur, multo minus certo illam definire auſim. Papiniani vero tempore, id eſt, circa 200. P.C.N. Aediles aedificiorum priuatorum curam geſſiſſe, certo ſcio. Ita enim in iſtius fragmento de officio Aedilium ſcriptum eſt: "Studeant Aediles, ne eorum aut alieni parietes domorum, qui ad viam ducunt, ſint caduci, ſed vt oportet emundent domini domorum et conſtruant. Si autem non emundauerint, neque conſtruxerint, multent eos, quousque firmos effecerint." Hactenus igitur reuera Aediles fuerunt Αστυνομοι, ὁι επι του ειναι καθαραν την πολιν ασχολουμενοι.

b) Cod. VIII. tit. 10. l. 2. Paulus in D. 18. tit. 2. l. 52.
c) D. 30. de legat I. l. 41. §. 5.
d) Tranquillus in Veſpaſ. c. 8.
e) Digg. l. cit. §. 1.
f) Cod. VIII. tit. 10. l. 2.
g) Cod. l. cit. l. 6.
h) D. 43. tit. 10. l. 1.

COMMEN-

COMMENTATIONIS CONSPECTVS.
